

292

FRXIII/105

ARTIS NOTARIÆ
THEORICA,

Ad usum Juvenum educandorum
in Gymnasio noviter à Collegio No-
tariorum Publicorum Regionum de
Numero Barchinonæ statuto, vigore
Regiæ Provisionis à Supremo Regiæ
Majestatis Consilio expeditæ
die 17 Aprilis anni 1795.



BARCINONE.

Ex Typ. Regiis Francisci Suriá & Burgada.

THE OFFICE

Ad usum Jansenii educandorum
in Gymnasio noviter a Collegio
rationum Publicorum Restitutum
Instituto Bibliothecae statim vigore
N. S. P. Novitiam a Jansenio Regis
propositis Consilio expeditur
die 17. Aprilis 1717.



PARISIIS

Ex Typographia Francisci Simonii & Compagnie

BONONIENSIS Rolandini opere speculativa Artis Notariæ præcepta extracta, sæculis quamplurimis majores nostri discere videtur. Primus qui Cathalonix hujus Artis Theoricam à Praxi segregatam typis excusam in lucem edidit, fuit anno 1767 Joannes Perera, Dertusensis Notarius, & anno 1772 Vincentius Gibert, Barchinonensis publicus de numero Tabellio, æquo instructivo penso, secundus. Importunum amborum laborem non existimantes, optimum vero, præsertim memorati Gibert confitentes, in brevioram formam reduci posse judicavimus, ita ut quæ præcipue, & necessario memoriæ mandanda sunt, Studentium sollicitudo, parvo quidem volumine, expedita frui posset. Notas autem & omnia quæ textus expositioni, aut mentis eruditioni deserviunt omittere, opportunam cognitionem

nem non impedire putavimus; nam nul-
latenus ea sufficerent, si Magistri, aut
Gymnastæ deficeret expositio. Hujus, dis-
ciplina noviter statuta, Tyronibus assequu-
tionem facillime erogabit. Theoricam igitur
usque nunc manuscriptam, à non-
nullis erroribus expurgatam, prælo com-
missam Studentibus offerimus.

ARTIS NOTARIÆ THEORICA.

ARS Notariæ duo complectitur; Theoricam, & Practicam.

THEORICA est = Illuminatio intellectus & cognitio veritatis.

THEORICA Artis Notariæ definitur = Scientia naturas personarum, rerum & negotiorum circa civilem sapientiam, rationabili investigatione comprehendens.

EXPOSITIO.

Scientia: Id est cognitio.

Personarum: Scilicet contrahentium, paciscentium, testantium, & litigantium.

Rerum: Super quibus contrahi, pacisci, testari, & litigari potest.

Negotiorum: Nimirum contractuum, pactorum, ultimarum voluntatum, & judiciorum.

Rationabili investigatione: Quia Notariæ scientia cum ratione fuit inventa.

PRAXIS est = Exercitii promptitudo rationi deserviens.

NOTARIA est = Negotia hominum publice & authentice notare.

EXPOSITIO.

Negotia: Legitima & vera, & quæ obligationem inducunt, vel dissolvunt.

Hominum: Contrahentium, paciscentium, testantium, & litigantium.

Publice & authentice : Per manum publici Notarii, & cum publicationibus, quæ publicum & fidedignum instrumentum reddunt.

OFFICIUM Notarii est = Dignitas & auctoritas ad legitimorum hominum negotiorum notam de publico introducta.

EXPOSITIO.

Dignitas : Nam infames & turpitudine notati ab hujusmodi officio repelluntur.

Auctoritas : Quia maximam habet Notarius auctoritatem, suis enim scripturis plenissima fides adhibetur, dicendo solum Ego N. Notarius subscripsi & clausi.

Hominum : Habiliū ad contrahendum, paciscendum, testandum, & litigandum.

Negotiorum : Contractuum & pactorum, ultimarum voluntatum, & judiciorum.

Notam : Ad perpetuam memoriam & probationem plenissimam, vel ad negotia & instrumenta coram eo confecta, notandum & scribendum.

De publico introducta : Scilicet à Romano Imperio inventa; officium enim istud ab imperiali culmine suam traxit originem.

Dignitas est = Hominis pulchritudo ad id quod inducitur, ut ab aliis veneremur.

Auctoritas est = Potentia vel propriis naturæ dotibus, vel alieno munere acquisita.

Officium Notarii circa duo versatur; scilicet ea quæ videt, & ea quæ audit.

ARS NOTARIÆ est. = Super legitimis hominum negotiis authentice conscribendis finitum & rationabile documentum.

E X P O S I T I O .

Super legitimis hominum negotiis : Scilicet, contractibus & pactis, ultimis voluntatibus, & judiciis.

Authentice : Id est cum requisitis solemnitatibus.

Conscribendis : Non autem memoriæ commendandis.

Finitum : Nam sicut leges & jura, scientia hæc caput & finem habet.

Rationabile : Quia cum ratione fuit inventa.

Documentum : Id est vera de hominum negotiis nota & perpetua probatio.

NOTARIUS est = Persona privilegiata ad negotia hominum publice & authentice conscribenda.

E X P O S I T I O .

Persona privilegiata : Quia Notarius hoc habet privilegium; suis enim publicis scripturis per totum orbem creditur.

Negotia : Legitima & vera, quæ obligationem inducunt, vel dissolvunt.

Hominum : Contrahentium, & paciscentium, testantium, & litigantium.

Publice, & authentice : Cum publicationibus quæ publicum instrumentum reddant, & fidedignum.

Conscribenda : Non autem memoriæ commendanda.

Notarius etiam definitur = Persona privilegiata ad cujus fidem hodie plenarie recurritur ut scribat, & ad perpetuam memoriam reducat ea quæ ab hominibus fiunt.

E X P O S I T I O .

Ad cujus fidem : Quia olim Argentarii & Campsores instrumenta conficiebant, eisque credebatur; hodie

die vero ad Tabellionis fidem recurritur. (Cætera vero hujus definitionis verba, quia satis clara, non explicantur.)

Diversis nominibus vocatur Notarius; nimirum Tabellio, sive *Tabularius*; quia hujus Artis Professores olim notabant in tabulis.

Scriniarius: Quia scripta eorum in scriniis, ubi jura erant custodienda, reponebantur.

Servus publicus: Non quia sit servus, immo servis tabellionatus artem exercere non licet, sed quia publico deservit. Hoc enim officium ad publicam utilitatem est inventum.

Librarius: Sic enim appellabant antiqui eos qui libros manu sua describebant.

Scriba: Ab scribendo.

Notarios creare possunt Reges, Duces, Marchiones, Comites, & omnes qui ab Imperatore, vel à Rege privilegium, seu potestatem habent.

Civitas etiam, & qui à populo civitatis facultate fruuntur; castrum quoque, vel villa in suo vero districtu, & non ultra; Collegium approbatum.

Notarii possunt esse illi, quibus expresse non est prohibitum.

Notarii vero esse nequeunt impubes, furiosus, mentecaptus, mutus, surdus, cæcus, infamis, falsarius, hæreticus, & clericus professus. *servus et femina.*

Ut Notarius legitime possit instrumentum conficere, requiritur: 1^o. *Facti commissio*, id est quod sit rogatus: 2^o. *Rei cognitio*, scilicet intelligentia negotii: 3^o. *Juris permissio*, nimirum quod instrumentum de permissis, & non à jure prohibitis conficiat: 4^o. *Testium præsentia*, hoc est quod testes sint præsentés.

Notarius ante instrumenti confectionem debet considerare:

siderare : 1°. *Ætates & conditiones contrahentium* : 2°. *Qualitates & quantitates rerum in quibus se obligant, & quas distrahere volunt* : 3°. *Diversitates contractuum* : 4°. *Beneficia quibus renuntiant* : 5°. *Testium numerum in contractibus habendum.*

Præcepta, quæ Notarius observare debet, sunt.

Quod nisi cum requisitis solemnitatibus minor non vendat.

Quod, nisi servata forma, Ecclesiæ res non alienentur.

Cavere autem debet Notarius ne falsa instrumenta conficiat, ne prohibita faciat.

Prohibita fiunt ratione personarum; rerum, & personarum, & rerum simul; & hæc ultima ratio mixta nuncupatur.

Pœna Notarii delinquentis est: Quod si scienter prohibitum, seu falsum conficit instrumentum, graves pœnas incurrit etiam mortis, si vero ignorantia lapsus, punitur in quantum læsit partem, præeunte iudicio.

Prohibentur Notarii instrumenta conficere in præjudicium donationis, vel hæreditamenti tempore nuptiarum facti; & illa instrumenta sunt nulla ipso jure.

Notarius debet jurare sex : 1°. Quod Domino suo erit fidelis.

2°. Quod legaliter suum officium exercebit, omnî amore & odio postpositis.

3°. Quod de his quæ videbit, & audiet, ac requisitus fuerit, instrumentum conficiet.

4°. Quod contractus, ultimas voluntates, & iudiciorum acta in scriptis rediget, & protocolla tenebit, nihil addendo, nec minuendo.

5°. Quod secreta sibi injuncta servabit.

6°. Quod instrumenta usuraria non conficiet.

De partibus Artis Notariæ.

Ars Notariæ circa tria potissimum versatur: Contractus scilicet, & pacta: ultimas voluntates, & juditia.

De Contractibus.

CONTRACTUS est = Consensus partium contrahentium: Item = prolatio verborum inter partes inita.

Contractus nascitur ex facto hominis; contrahere enim factum est.

In quolibet contractu resolvuntur quatuor.

Quis: Hoc est ille qui agit; ut venditor in venditione.

Quid: Res vendita.

Cui: Scilicet emptor.

Qualiter: Modus quo contrahitur.

In quolibet contractu considerantur quatuor.

1°. Consensus contrahentium ex quo contrahitur.

2°. Materia rei de qua contrahitur.

3°. Forma per quam contrahitur.

4°. Actus per quem contractus perficitur.

In quolibet contractu duo requiruntur; substantia videlicet, & natura.

Substantia est = Quæ primam essentiam rei præstat, sine qua res esse, ac subsistere non potest.

Natura est = Quæ oritur ab esse contractus perfecti.

Contractus sumitur tribus modis.

1°. *Proprie*: Quando ultro, citroque, id est hinc inde oritur obligatio; ut emptio, venditio, locatio, & conductio.

Venditor enim obligatur emptori ad rem tradendum; emptor vero ad pretium solvendum.

Locator autem obligatur conductori, ut sinat eum uti re locata; & conductor locatori ad mercedem solvendam.

Et generaliter sumitur proprie quando mutue promissiones & obligationes interveniunt, ut in contractu donationis carrharum.

2°. *Improprie*: Cum una pars solum alteri obligatur, ut in contractu mutui, nam recipiens tantum obligatur.

3°. *Magis improprie*: Ubi neutra pars obligatur, ut in nuda transactione, vel potius quando dissolvitur obligatio, ut in resilitioe.

Contractus sunt: Nominati, innominati, & magis innominati; in scriptis; sine scriptis; bonæ fidei, & stricti juris.

Contractus *nominatus* est: Qui suum proprium & specificum nomen habet, quod reliquis contractibus attribui non potest, ut emptio, & venditio, feudum, donatio, emphyteusis, & alii.

Ut contractus dicatur nominatus, requiritur: 1°. Quod habeat nomen proprium, & speciale, quod aliis contractibus accommodari nequeat: 2°. Quod statim in eo oriatur obligatio: 3°. Quod ex eo detur specialis actio: 4°. Quod in eo non sit locus pœnitentiæ.

Attamen aliquibus in casibus contractus, licet nominatus, pœnitentiæ locum præbet, ut in deposito, societate, procuratione, & venditione, in scriptis nondum firmata.

Contractus *innominatus* est = Qui nomen speciale, & à jure determinatum non habet.

Genera innominatorum contractuum quatuor sunt, nimirum: Do ut des: Do ut facias: Facio ut facias: Facio ut des.

Differunt nominati contractus ab innominatis: 1^o. Quod nominati habent nomen specificum, & determinatum à lege; innominati autem non: 2^o. Quod in nominatis statim oritur obligatio; in innominatis vero non nisi pactum adimpletum sit ab altera partium: 3^o. Quia in contractibus nominatis datur actio specialis, sed in innominatis generalis, scilicet præscriptis verbis: 4^o. In contractibus nominatis non est locus pœnitentiæ, nisi in casibus supra expressis; in innominatis autem sic.

Contractus *magis innominatus* est: Qui potest accommodari nominatis, & innominatis contractibus, ut pacta, quæ nedum respiciunt obligationem, verum etiam ea quæ illam dissolvunt.

In scriptis contractus est ille in quo in contractu, vel ante partes conveniunt, ut inde fiat scriptura.

Contractus *sine scriptis* est ille in quo non agitur inter contrahentes ut inde fiat scriptura, & licet postea fiat; tamen ex eo quod non fuit actum ab initio, dicitur sine scriptis, nam contractus ex partium conventionem legem accipiunt.

Contractus *bonæ fidei* est = Ille in quo solum bona fides requiritur; nimirum

Emptio.

Pignus.

Venditio.

Societas.

Locatio.

Tutela.

Conductio.

Divisio.

Mandatum.

Permutatio.

Depositum.

Dos.

Commodatum.

Æstimatio rei dotalis.

Et appellatur bonæ fidei = Quia in eo uberius & pinguius iudex officium suum extendit, quam in contractu stricti juris.

Contractus *stricti juris* est ille in quo non venit, nisi quod stricte exigit contractus natura, ut emphyteusis, stipulatio, insolutum datio, & alii qui inter bonæ fidei contractus non enumerantur.

Contractus *juris gentium* est ille qui à jure gentium initium habet, ut emptio, venditio, locatio, conductio, & alii innumerabiles.

Jus gentium est = Quod naturalis ratio inter homines constituit, & apud omnes peræque custoditur.

Contractus *juris civilis* est = Quod à jure civili essentiam, & naturam habet, ut stipulatio, literarum obligatio, sponsalitia largitas, emphyteusis, compromissum, tutela, cura, & acceptilatio.

Est autem jus civile: Quod quisque populus ipse sibi constituit, vel quæque civitas sibi proprium facit.

Contractus alii perficiuntur *consensu*; ut venditio, matrimonium, locatio, societas, mandatum, quos mutus facere potest, sublata tamen stipulatione: Alii *verbis*, nempe stipulatio, acceptilatio, qui à nudo fieri nequeunt: Alii *re*, nimirum permutatio, pignus, divisio, donatio nudo pacto, emphyteusis denique, scriptura interveniente.

Contractus constat ex tribus; videlicet, personis, rebus, & obligationibus.

De personis, & earum differentiis.

PRIMA differentia personarum est = Quod omnes homines, aut sunt masculi, aut foeminae, aut hermaphroditi.

SECUNDA differentia est = Quod omnes personæ aut sunt natæ, aut nascituræ.

Natæ sunt = Quæ in lucem editæ sunt: Nascituræ vero sunt posthumi. Posthumus dupliciter sumitur, stricte nimirum, & late: *Stricte*, quando nascitur post mortem patris: *Late* vero, quando post testamentum factum conceptus est, & patre vivente nascitur.

TERTIA differentia est = Quod omnis homo, aut est liber, aut est servus.

Liber est ille, qui nascitur de liberis parentibus, vel saltem de libera matre; quia partus sequitur matrem quoad libertatem; patrem vero quoad honores, & potestatem.

Liberorum species triplex est; nam alii sunt ingenui, alii liberti, & alii libertini.

Ingenui sunt = Qui statim ut sunt nati, liberi sunt, sive nascantur ex duobus ingenuis, aut ex duobus libertis seu libertinis, vel ex altero ingenuo, & ex altero liberto vel libertino: sed si nascantur ex matre libera, & ex patre servo, ingenui sunt; quia ut est dictum, filii matris conditionem, & non patris quoad libertatem sequuntur.

Liberti dicuntur: Qui ex justa servitute manumissi sunt.

Libertini vero sunt: Filii, vel nepotes liberti.

Libertas est = Naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi quid vi, aut jure prohibetur.

Servus est ille, qui nascitur de ancilla, vel qui capitur ab hostium potestate.

Item = Qui ad pretium participandum cum solemnitatibus à jure civili præscriptis patitur se venundari.

Quis efficitur servus quinque modis : Per nati-
tatem : Per captivitatem : Per ingratitude[m] : Per ju-
dicis sententiam : Et per venditionem.

Ut liber homo vendi possit, quinque requiruntur
solemnitates à jure civili præscriptæ ; nimirum : Quod
sit major viginti annorum : Quod ad pretium parti-
cipandum patiatur se venundari : Quod revera de
pretio participet : Quod credat se esse liberum : Quod
ille qui emit credat ipsum esse capacem ad servitu-
tem sustinendam.

Jus quod habet dominus in servis est duplex : 1º.
Quod quidquid acquirit servus, domino acquirit.
2º. Quod dominus potest modice corrigere servum.
3º. Personarum differentia, quod personæ sunt sui
juris, aut alieni juris.

Personæ sui juris sunt quæ in alterius potestate
non extant. Juris vero alieni : Quæ aliorum potestati
subjectæ sunt.

Patria potestas est jus quod habet pater in libe-
ros legitimos & naturales.

Finitur patria potestas quinque modis.

1º. Morte patris.

2º. Emancipatione.

3º. Adoptione avi, tam paterni, quam materni,
& filius in potestate avi adoptantis transit.

4º. Dignitate gaudente, aut militante filio.

5º. Per matrimonium in hoc Cathalonix Principatu.

Exilio, aut hostium captione, tam patris, quam
filii, patria potestas suspenditur.

Filius familias de jure communi est ille qui ha-
bet, patrem avum, vel proavum paternum, & est
in illius potestate. De jure vero Cathalonix est ille
qui patrem habet, & in ejus potestate est.

Jura quæ habet pater in filios familias sunt: 1^o. Quod inter patrem & filium non cadit lis, nec civilis obligatio, naturalis autem sic: 2^o. Filius familias nequit vocare patrem in jus, nisi venia paterna petita, & obtenta: 3^o. Quod non potest in judicio interesse cum patre sine ejusdem consensu, nisi pro re castrensi, vel quasi castrensi, & alimentorum causa: 4^o. Quidquid filius familias acquirit, patri acquirit, scilicet in re adventitia, quoad usufructum, sibi autem quoad proprietatem: In profectitia quoad proprietatem, & usufructum; & in castrensi, seu quasi castrensi, sibi & non patri: 5^o. Quod filius familias non potest testari, etiam cum consensu patris: 6^o. Quod pater bona filii quamvis eo invito administrat: 7^o. Quod pater potest vendicare filium ab aliquo detentum.

QUINTA differentia est= Quod filii alii sunt legitimi & naturales; alii legitimi tantum: Alii naturales tantum, & alii, nec legitimi, nec naturales.

Legitimi, & naturales sunt, qui nascuntur ex legitimo matrimonio: legitimi tantum sunt adoptivi, vel arrogati: naturales tantum sunt nati ex concubina: nec legitimi, nec naturales qui ex nefario coitu nascuntur.

Appellantur legitimi & naturales, scilicet legitimi, qui nati sunt secundum jus divinum, canonicum, & humanum: naturales vero qui natura cooperante in eis nati sunt: legitimi tantum, quia sola lege filii facti sunt: naturales tantum quia natura in eis cooperante nati sunt, & non secundum leges: nec legitimi, nec naturales quia contra leges nati sunt.

SEXTA personarum differentia est= Quod personæ aliæ sunt legitimæ ætatis; & aliæ ætatis non legitimæ.

ma. Legitima ætas est à viginti quinque annis supra, & homines hujusce ætatis vocantur majores. Non legitima ætas est à viginti quinque annis infra, & isti minores appellantur. Horum minorum, alii sunt puberes, & alii impuberes.

Pubes est masculus major quatuordecim annorum, & foemina duodecim, & isti dicuntur adolescentes.

Impubes est masculus minor quatuordecim annorum, & foemina duodecim; & horum alii sunt infantes, alii proximi infantia, & alii proximi pubertati.

Infans est à die nativitatis, usque ad septem annos.

Proximus infantia est à septem annis, usque ad decem cum dimidio masculus, & ad novem cum dimidio foemina.

Proximus pubertati est masculus à decem annis cum dimidio usque ad quatuordecim, & foemina à novem cum dimidio usque ad duodecim.

De personis quarum occasione contractus inutilis redditur.

Istæ personæ sunt quatuordecim, nimirum quatuor ratione ætatis; ut infans, proximus infantia, proximus pubertati, & pubes: Duæ ratione conditionis, scilicet filius familias, & servus: Quatuor ratione morbi, nempe mentecaptus, furiosus, mutus, & surdus: Quatuor ratione delicti, videlicet prodigus, hæreticus, apostata, & committens crimen læsæ majestatis.

De infante.

Infans non potest contrahere, nec alteri se obligando, nec alium sibi obligando, quia animi iudicium non habet, & ignorat quid agit, & in omni contractu requiritur sensus, & consonans intellectus, quibus ipse caret: Nec fidejussorem dare potest, ubi enim principalis obligatio esse non valet, neque accessoria.

De proximo infantie.

Proximus infantie potest contrahere, alium sibi obligando propter suam utilitatem, quia unicuique licet conditionem suam meliorem efficere: Si vero se obligando vult contrahere, distinguendum est, aut habet tutorem, vel non; si non habet, & se obligat, solum in duobus casibus tenetur naturaliter, & civiliter, scilicet in sponsalitiis certis, & in omni contractu ex quo fit locupletior, id est cum pecunia sit salva, & in utilitatem suam conversa; in aliis vero contractibus quando tutore caret, obligatur naturaliter tantum, quæ obligatio est inefficax ad agendum, prodest tamen quia potest dare fidejussorem, qui naturaliter, & civiliter obligetur: Si autem tutorem habet, iterum est distinguendum; aut contrahit cum ipso tutore, aut cum extraneo; si cum tutore, nullo modo obligatur, nisi fiat locupletior, sed si plures tutores habet, & cum auctoritate unius contrahit cum aliis, tunc obligatur naturaliter, & civiliter; si vero contrahit cum extraneo, & hoc facit cum auctoritate tutoris, etiam obligatur naturaliter, & civiliter: Si vero sine tutoris auctoritate, non obligatur nisi naturaliter.

De proximo pubertati.

De proximo pubertati idem est dicendum, quod de proximo infantia dictum est, & ultra, quod iste tenetur de dolo, quia est doli capax.

Differentia inter impuberem filium familias, & impuberem in potestate tutoris existentem, est, quod ille cum auctoritate patris non obligatur, & iste cum auctoritate tutoris obligari potest; nam patria potestas ad gubernandum est solum, auctoritas vero tutoris ad auctorisandum, & quia tutor pupillo tenetur de mala administratione, pater autem non.

De pubere.

Pubes curatorem habens non potest contrahere absque ejus auctoritate, nisi curator legitime recusaverit. Si vero curatorem non habet (cum pubes invitus curatorem non accipiat nisi ad lites) optime potest contrahere, & alienare, etiam immobilia cum juramento, & valet alienatio, licet decretum judicis, & causa legitima non interveniant, & tunc debet jurare se esse majorem quatuordecim annorum, & curatorem non habere velle, & non venturum contra contractum ratione minoris ætatis, & ita non potest contra ipsum venire, propter auctenticam Federici Imperatoris incipientem Sacramenta puberum, nam juramentum facit valere contractum, qui de jure non valeret; minorem, majorem esse repræsentat, supplet omnes juris solennitates, & sic privat eum restitutione.

De filio familias.

Filius familias est triplex: Impubes scilicet, Pubes, & major.

Impubes filius familias non potest contrahere cum consensu patris, nec pater potest eum obligare.

Pubes vero cum consensu patris potest contrahere, & causa mortis donare, non autem testari, nec codicillari, nec iudicio interesse. Major filius familias regulariter potest contrahere sine patris consensu; dicitur regulariter, quia fallit in voto reali, & in mutuo, in quibus casibus non tenetur, si vero votum est personale tenetur. In mutuo non tenetur, quia juvatur beneficio macedoniano.

Filius emancipatus minor, & filius familias, sive minor, sive major, qui uxorem non habet, per constitutionem Cathalonix contrahere nequeunt sine patris consensu.

De servo.

Servus aut contrahit cum domino suo, aut cum extraneo.

Si cum domino suo, obligatur naturaliter tantum, & non civiliter, & potest dare fidejussorem, qui naturaliter, & civiliter obligetur, dominus etiam servo suo obligatur naturaliter tantum, & non potest dare fidejussorem, quia fidejuberet pro se ipso, nam quidquid acquirit servus, acquirit domino suo.

Si vero cum extraneo, distinguitur, aut contrahit se alteri obligando, aut alium sibi obligando.

Si primo modo, non potest; quia dominus ex contractu servi regulariter non obligatur.

Dicitur regulariter, quia fallit in aliquibus casibus, quos juri remittimus.

Si secundo modo, tunc potest, nam servus ex personam domini habet jus stipulandi pro eo.

De furioso.

Furiosus est ille, qui vadit furendo per civitatem, & se, & alios percutit. Mente captus est ille qui prorsus caret mente.

Omnes isti contrahere non possunt, quia in omni contractu requiritur sensus, & consonans intellectus, quibus ipsi carent.

Si autem habent dilucida intervalla, vel sanitatem in totum recuperarent, tunc optime possunt contrahere.

De mutuo, & surdo.

Mutus est ille, qui nullo modo loquitur.

Surdus, qui nullo modo audit.

Si à nativitate sint, non possunt contrahere, nam in omni contractu requiruntur verba, quæ unus proferre, & alius audire non potest.

Et licet dicatur istos cum signis contrahere posse, tamen certe non possunt, immo debet eis dari curator à judice, qui eorum bona & negotia gerat; sed si ex accidenti sunt, omnem contractum celebrare possunt, præter eum qui stipulatione perficitur.

De prodigo.

Prodigus est ille, qui neque tempus, neque finem expen-

expensarum habet, sed bona sua dilapidando profundit.

Prodigus est duplex: juris, & facti.

Prodigus juris est ille, cui bonorum omnium administratio à iudice, vel à lege interdicta est.

Iste non potest contrahere, nisi alium sibi obligando.

Prodigus facti est, qui expendit expendenda, & non expendenda, & non est ei interdicta bonorum administratio.

Iste optime contrahere potest.

Prodigalitas est vitium inclinans voluntatem ad dandum ultra mensuram ratione præscriptam.

De hæretico.

Hæreticus est ille, qui non credit in sanctam & catholicam fidem, vel errat in fide. Iste nullo modo potest contrahere, nec vendendo, nec emendo, nec testimonium facere.

De apostata.

Apostata est duplex: *Religionis* scilicet, & *Fidei*:
 Apostata fidei est, qui apostatat fidem, id est cum esset christianus, factus est infidelis; & iste nullo modo potest contrahere: Apostata Religionis est, qui postquam professionem emisit in aliqua religione, habitum dimittit; & iste solum potest contrahere monasterio acquirendo.

De committente crimen læsæ majestatis.

Committente crimen læsæ majestatis est ille, qui

vadit contra Regem, vel qui arma sumit, vel loca occupat contra Rempubicam.

Iste non potest contrahere.

De rebus super quibus contrahi non potest.

Res super quibus contrahi est prohibitum, sunt in primis impuberum res, quæ servando possunt servare, ut prædium, domus, aurum, argentum, ac similia, quæ temporis diuturnitate non pereunt, & ad eas alienandas sequentia sunt necessaria.

1^o. Causa legitima.

2^o. Auctoritas tutoris.

3^o. Decretum judicis.

4^o. Et curritoris subhastatio.

Causa legitima quatuor intelligitur modis.

1^o. Ob æs alienum.

2^o. Ob dotem dandam à pupillo.

3^o. Ob donationem propter nuptias.

4^o. Ob necessitatem famis ipsius, vel conjunctarum personarum.

Decretum judicis, id est cum causæ cognitione, prævia informatione interponendum est.

Auctoritas tutoris in ipso actu, & non ex intervallo adhibenda est.

Subhastatio curritoris, scilicet quod res hastæ subiciatur, saltem per spatium triginta dierum, & plus offerenti addicatur.

Et sine prædictis solemnitatibus possunt ipse res impuberum alienari in duobus casibus.

1^o. Si testator hoc jusserit generaliter, vel specialiter.

2^o Si pupillus impetraverit specialiter, & non generaliter, veniam à Principe, ut rem vendere possit.

Infans autem non potest veniam impetrare.

Res vero mobiles pupilli, quæ servando non possunt servari, custodiendæ non veniunt, immo per tutorem sunt alienandæ, & ad illarum alienationem sufficit auctoritas ipsius sola, quamquam alia non interveniat solemnitas, quinimo si perirent, tutoris periculo perirent.

De patrimonio, & peculio.

Patrimonium est = Personarum substantia in potestate sua existentium.

Peculium est = Personarum substantia in potestate dominorum, vel parentum suorum constitutarum.

Quod quidem peculium quadruplex est; scilicet profectitium, adventitium, castrense, & quasi castrense.

De profectio peculio.

Profectitium peculium est = Quod ad filium provenit ex substantia patris, vel rerum patris occasione.

De quo quidem peculio tam proprietas, quam usufructus, ad patrem pertinent; propter quod de eo cum patre, filius nullo modo contrahere potest.

De adventio peculio.

Adventitium peculium illud est = Quod acquirit filius familias, vel sibi advenit ex successione matris, vel alicujus sibi conjuncti per lineam maternam, vel

ex ejus propria fortuna, & non ex substantia patris.

In isto adventitio peculio dominium filio competit, patri vero usufructus, & quamquam pater in eo plenissimum habeat usufructum, veruntamen nihil de illo potest alienare absque filii consensu; nisi res alienum, vel debitum usurarium filio immineat, quia tunc potest, *cæterum* prius mobile, deinde immobile est vendendum; & similiter filius, etiamsi pubes, nihil de isto peculio valet alienare, nisi paternus accedat consensus.

De castrensi peculio.

Castrense peculium illud est=Quod acquirit filius familias in militia armata.

Hoc peculium, tam in proprietate, quam in usufructu, est filii, & de illo etiam cum patre suo contrahere valet, nam quoad istud pro patre familias reputatur.

De quasi castrensi peculio.

Peculium quasi castrense est=Quod acquirit filius familias in literaria militia; ut ex professione liberalium artium, & salariis, vel stipendiis publicis.

De quo quidem peculio potest filius familias idem facere quod de castrensi.

De fundo dotali, & de quasi dotali.

Fundus dotalis est res=Immobilis in æstimatione ab uxore in dotem marito data ob matrimonium à jure contractum.

Quatuor sunt necessaria ut fundus dici possit dotalis.

1^o. Quod matrimonium sit à jure contractum.

2^o. Quod sit traditus in dotem marito.

3^o. Quod immobilis sit, non autem mobilis.

4^o. Quod inæstimatus sit, & non æstimatus.

Nisi fiat æstimatio, vel ut fundi valor restitutionis tempore appareat, vel ut possit mulier eligere rem, vel æstimationem soluto matrimonio, quo casu fundus est dotalis, & non emptitius.

Fundus quasi dotalis est = Qui traditus est sponso nondum sequuto matrimonio, vel alias: Qui legatus est servo mulieris intuitu.

Fundus dotalis, nec quasi dotalis ab uxore alienare non potest, nisi maritus consentiat, neque à viro, nisi cum consensu uxoris.

Attamen per constitutionem Cathalonix vendi potest etiam inæstimatus. Res vero mobiles inæstimatæ, si ad solvendum sunt, optime alienari valent.

De re litigiosa.

Res litigiosa est = De cujus dominio, vel quasi, inter petitem, & possessorem causa movetur.

Jus quod erga eam servatur, est = Quod omnis ejusdem rei prohibetur alienatio, nihilominus tamen quatuor de causis permittitur; & sunt.

1^o. Ex causa dotis.

2^o. Donationis propter nuptias.

3^o. Transactionis.

4^o. Et divisionis.

De hypotheca, & pignore.

25

Hypotheca est = Bonorum immobilium obligatio expressa, vel tacita.

Expressa est: Quando bona verbis expressis obligatur.

Tacita vero: Quando vi legis sine conventionione bona obligatur.

Expressa est duplex.

Specialis: Quæ est aliquorum bonorum.

Generalis: Quæ est bonorum omnium.

Pignus est = Mobilis res quæ datur, & obligatur Creditori.

Differunt inter se: Quia hypotheca fit de re immobili non tradita, pignus de mobili, & tradita.

Non potest alienari pignus à creditore in cujus posse est, nisi cum consensu veri domini illius.

De rebus à commercio hominum exemptis.

Res quæ ab hominum commercio sunt exemptæ, & prohibentur alienari, quinque sunt; videlicet.

1°. Sacra, ut Ecclesia.

2°. Religiosa, ut sepulcra. Jus tamen sepeliendi vendi potest, & legari.

3°. Sancta, ut murus.

4°. Civitatum publica, ut flumina, stadia, riparia, &c.

5°. Et liber homo, nisi cum requisitis in tertia personarum differentia expressis.

Nec etiam jus patronatus vendi potest, quia spiritualibus est annexum; sed tamen si venditur hæreditas, ubi jus patronatus existit, rem venditam sequitur.

Res immobiles Ecclesiæ; ut prædia, decimæ, & proprietates alienari non possunt nisi in casibus sequentibus.

Si

- 1°. Si Ecclesiæ debitum urget.
- 2°. Permutando cum alia Ecclesia, servata forma.
- 3°. Permutando cum Imperatore.
- 4°. Causa redemptionis captivorum.
- 5°. Quando Ecclesia prædium habet inutile.

Solemnitates à jure canonico requisitæ in rei ecclesiasticæ alienatione quatuor sunt, nempe.

Causa legitima. = Auctoritas Episcopi. = Consensus Capituli, si ad Capitulum tangit = Et curritoris subhastatio.

Res vero mobiles Ecclesiæ; ut fructus, animalia, &c. Quæ servando servari nequeunt, absque ulla solemnitate alienari possunt.

Licet res immobiles Ecclesiæ sine solemnitatibus nequeant alienari, possunt generali, non autem speciali hypothecca obligari.

Simonia est = Venditio rei spiritualis pro temporali.

De alienatione, commercio, præscriptione, & usucapione.

Alienatio est = Omnis actus per quem dominium in alium transfertur.

Æs alienum est = Quod aliis debemus.

Commercium est = Facultas contrahendi à jure concessa.

Præscriptio est = Exceptio ex tempore causam trahens.

Usucapio est = Acquisitio domini per continuationem possessionis, tempore à lege definito.

Per usucapionem verum, & directum acquiritur dominium.

Differentia inter præscriptionem, & usucapionem est = Quod usucapio in rebus mobilibus habet locum; præscriptio vero in immobilibus.

Usucapio finitur triennio ; præscriptio autem decennio inter præsentés , & inter absentes vicenio.

De obligationibus.

Obligatio est = Juris vinculum cujus necessitate adstringitur ad aliquid dandum , vel faciendum secundum Romanæ civitatis jura.

EXPOSITIO.

Juris : Nempe civilis , à quo effectum habet.

Vinculum : Quia ligat.

Cujus necessitate : Id est si obligatio est naturalis , & civilis simul , tunc enim debitor est , & de necessitate solvere tenetur.

Ad dandum , vel faciendum : Quia obligationis vinculo ad dandum , vel faciendum adstringi possumus.

Secundum Romanæ civitatis jura : Id est secundum jus civile.

Obligatio est triplex.

Naturalis tantum , civilis tantum , & naturalis , & civilis simul.

Naturalis tantum est = Illa qua quis naturaliter astrictus est æquitate naturali , quia naturalis æquitas eum teneri suadet.

Effectus illius est , quod quis per ipsam naturalem obligationem non poterit alium convenire , eo quod est inefficax ad agendum ; attamen fidejussorem dare poterit , qui naturaliter , & civiliter obligetur.

Civilis tantum est = Illa cum qua quis solemnitate juris astrictus est , sed naturalis æquitas eum teneri non suadet : Ut qui sub spe futuræ numerationis confessus fuit se ex causa mutui pecuniam accepisse , quam revera non accepit.

Effectus illius est: Quod ante biennium est tantum civiliter obligatus, & exceptionem non numeratæ pecuniæ poterit opponere, quæ quidem exceptio hæredi, & fidejussori suo conceditur.

Civilis, & naturalis simul est = Quæ æquitatem naturalem, æquitatem, & juris solemnitatem in se continet.

Effectus illius est: Quod si quis per eam obligatur, tenetur solvere, aut dare quidquid promiserit, nam poterit conveniri efficaciter.

Contrahitur obligatio septem modis.

1^o. *Re*, ut in mutuo & commodato.

2^o. *Verbis*, ut in stipulatione.

3^o. *Litteris*, ut in chirographo.

4^o. *Consensu*, ut in venditione.

5^o. *Pure*, ut quando non apposito die, nec conditione, solutio promittitur.

6^o. *In diem*, ut quando hinc ad tale tempus promittitur.

7^o. *Sub conditione*, ut promitto solvere, si navis venerit.

Dissolvitur obligatio quatuor modis: Solutione, acceptilatione, novatione, & dissensu: Et est sciendum, quod sunt plures alii modi obligationis dissolvendæ; ut compensatio, confusio, obsignatio, jusjurandum, interitus rei, pactum de non petendo; sed quatuor supradicti sunt usitatiores.

De stipulatione.

Stipulatio est = Verborum conceptio, quibus is qui interrogatur daturum, facturumve, idem de quo est interrogatus respondet.

EXPOSITIO.

Verborum conceptio: Quia stipulatio concipitur verbis, scilicet interrogatione, & responsione.

Daturum, facturumve: Quia nequit fieri nisi per verba de futuro.

Stipulatio fit tribus modis.

Pure: Id est sine ulla temporis, vel conditionis adjectione.

In diem: Cum præscriptione temporis.

Sub conditione: Quando conditio apponitur.

Conditio est = Quidam eventus futurus in quem promissio suspenditur. Et est triplex, scilicet casualis, potestativa, & mixta.

Potestativa est = Quæ pendet ex voluntate personæ.

Casualis est = Quæ pendet à casu.

Et mixta = Quæ partim ex casu, & partim ex voluntate personæ pendet.

Stipulationes redduntur inutiles.

1°. *Ratione magni intervalli interpositi*, quia facta interrogatione, statim debet sequi responsio.

2°. *Ratione dissensus, seu diversitatis*, ut si stipulor unum, & tu aliud promittis.

3°. *Ratione impossibilis conditionis*, ut si digito litigero coelum.

4°. *Ratione turpis causæ*, ut si facere homicidium stipulor.

5°. *Ratione metus*, ut si per metum stipulor.

6°. *Ratione doli mali*, ut si alicujus dolo, vel caliditate stipulor.

7°. *Ratione inutilis detractionis, seu adjectionis*, ut si stipulor pure, & tu sub conditione respondes.

8°. *Ratione oppositæ*, ut si stipulor alteri, nulla est stipulatio.

Stipulationes, & pacta contrahentibus tantum prodesse, vel nocere possunt.

Unde si contrahentes ex eorum stipulatione velint alium obligare, non possunt; immo stipulatio nulla erit, quia factum alienum nemo promittere valet.

Bene tamen quis promittere potest se facturum, curaturum, & daturum operam cum effectu, quod Caius faciet istud, imponendo sibi pœnam; v. g. si istud Caius non fecerit, spondeo tibi dare decem.

Valet talis stipulatio, quia factum proprium, & non alienum promittitur, tunc enim promissio pœna roboratur.

Sunt inventæ stipulationes, ut unusquisque acquirat quod sua interest.

Dolus est = Machinatio ad circumveniendum, fallendum, & decipiendum adhibita.

Fraus est: Calliditas quæ contra honesta, aut recta exercetur.

De fidejussore.

Fidejussor est = Ille qui fidem suam pro alio interponit, ad majorem creditoris securitatem, principali debitore remanente nihilominus obligato.

EXPOSITIO.

Ille, & non illa, nam mulier fidejubere non potest propter sexus fragilitatem, quia juvatur beneficio Vellejano.

Qui fidem suam: Non autem alienam.

Ad majorem creditoris securitatem: Ut tutius caveatur creditori in suo credito.

Principali debitore nihilominus remanente obligato:
 Quia principalis semper remanet obligatus.

Fidejubere possunt omnes illi, quibus expresse non est prohibitum.

Prohibentur vero, qui contrahere non possunt; nempe impubes, furiosus, mentecaptus, & alii.

Ut valeat fidejussio requiruntur quatuor, videlicet.

Quod fidejussor sit habilis ad se obligandum.

Quod per stipulationem se obliget.

Quod principalis aut naturaliter, aut civiliter obligetur.

Quod fidejussor non obligetur in plusquam principalis.

Illud *plus* sumitur in jure quatuor modis, nimirum re, loco, tempore, & causa.

Re, ut si principalis obligatur in decem, fidejussor vero in viginti.

Loco, ut si principalis obligatur solvere Barchinonæ, fidejussor autem Vici.

Tempore, ut si principalis promittit solvere intra unum annum, & fidejussor intra sex menses.

Causa, ut si principalis sub conditione obligatur, fidejussor tamen pure.

Fidejussor potest recipi tempore contractus, & post principalis obligationem, non autem antea, quia fidejussio est accessorium principalis obligationis.

Indemnitas est = Remissio servandi aliquem liberum, exemptum & securum à fidejussione, sive obligatione per ipsum facta.

De pactis.

Pactum est: Consensus duorum, vel plurium ad idem dandum, vel faciendum, alteri ab altero paciscentium.

EXPOSITIO.

Consensus: Quia consensu pactum perficitur.

Duorum, vel plurium: Quia in pacto sunt necessarij duo, vel plures, & quod consentiant.

Ad idem, & non in eodem: Quia si tu, & ego consentimus, quod homo est animal rationale, non est pactum, nam talis consensus non obligat unum alteri, nec est dandi, vel faciendi.

Alteri ab altero: Quia si consentiamus quod unus nostrum det Titio, vel quod Titius det uni nostrum, non est pactum, nemo enim alteri pacisci potest.

Pacta alia sunt utilia, alia inutilia.

Utilia sunt, in quibus personæ habiles ad paciscendum, & se obligandum interveniunt, & quæ super rebus fiunt, quæ in contractum deduci possunt, & juris ordo in eis servatur.

Hæc utilia pacta, in expressa, & tacita dividuntur.

Expressa sunt, quæ verbis expressis fiunt.

Tacita vero, quæ expresse non fiunt, sed vi, & potestate legis facta intelliguntur.

Pacta expressa sunt, nempe dandi, faciendi, clara, obscura, gratuita, non gratuita, substantialia, naturalia, addictionis in diem, legis commissoriæ.

Hæc enim omnia vestita, & secundum leges appellantur.

Dicuntur secundum leges, quia juris ordo in eis servatur; vestita vero, quia legis solemnitatibus valata existunt, & sunt utilia ad agendum.

Pacta novem modis vestiuntur.

1^o. *Re*, ut in mutuo, & commodato.

2^o. *Verbis*, ut in stipulatione.

3^o. *Litteris*, ut in chirographo.

4^o. *Consensu*, ut in venditione, & locatione.

5^o. *Cohærentia contractus*, ut si gratia alicujus pacti vestiti fiat pactum, quod alias esset nudum, dummodo fiat incontinenti, v. g. si vendas domum cum pacto, quod in ea debeas morari per annum.

6^o. *Rei interventu*, ut dabo tibi agrum, ut des mihi vineam.

7^o. *Rei principio*, ut si promisisti ædificare domum, quia incepisti debes illam perficere.

8^o. *Legis auxilio*, ut in donatione, dote, & similibus, quæ nuda sunt, & legis auxilio vestiuntur.

9^o. *Jurejurando*, ut quando Manumissus opera, suas promittit cum juramento.

Pacta dandi sunt, in quibus datio venit in obligatione.

Faciendi, in quibus venit in obligatione factum.

Sub his duobus comprehenduntur pacta de non dando, & non faciendo.

Clara sunt, in quibus obscuritas, vel ambiguitas non versatur.

Obscura, quæ duplicem intellectum habere possunt, & contra proferentem sunt interpretanda.

Gratuita sunt, quæ fiunt gratis.

Non gratuita, quæ non gratis, sed aliquo dato, retento, seu promisso fiunt.

Substantialia, quæ fiunt super his, quæ sunt de substantia contractus.

Naturalia, quæ fiunt super his, quæ sunt de natura contractus.

Pactum addictionis in diem, fit cum res venditur, nisi alius intra certum tempus meliorem obtulerit conditionem: Et hoc pactum fit duobus modis; pure scilicet, & conditionaliter.

Pure, quando res venditur pretio tot librarum intra tres menses solvendarum, & si non solvantur, res sit inempta. Conditionaliter vero, quando venditur sub conditione, quod si hinc ad talem diem apparet, qui plus dare velit, res sit inempta.

Pactum legis commissoriæ fit, quando vendo tibi rem, ut teneas per mensem; & si placebit tibi, sit empti tali pretio, alias sit inempta.

Inutilia pacta sunt, in quibus personæ habiles ad paciscendum, & se obligandum non interveniunt, & quæ super rebus fiunt quæ in contractum deduci non possunt, & juris ordo in illis non servatur.

Pacta inutilia fiunt quinque modis.

1^o. Per metum, ut quando metu, vel periculo mortis coacte paciscitur.

2^o. Per dolum malum, ut quando fit pactum ad alterum decipiendum calliditate, vel fictione.

3^o. Contra constitutiones, ut si Advocatus, vel Procurator paciscatur de toto, vel de parte litis cum clientulo.

4^o. Contra leges, ut si paciscatur rem sacram, seu prædium minoris, sine solemnitatibus alienari.

5^o. Contra edictum Prætoris, ut si paciscatur ipsum contraveniendo.

Pacta in fraudem fiunt quinque modis.

1^o. De persona ad personam, ut si tutor, qui de bonis pupilli emere prohibetur, emit non per se, sed per alium, & sic de curatore.

2^o. De re ad rem, ut cum prohibitum sit filio

familias pecunias mutuare, tu vero mutuas ei aliam rem, ut ea distracta pecunia utatur.

3°. De contractu ad contractum, ut cum mutuares Caio pecuniam, & mulier deberet pro eo fidejübere, tu vero ne mulier beneficio Velleyano juretur, mulieri pecuniam mutuasti, & ejus virum accepisti in fidejussorem.

4°. De nomine ad nomen, ut si sub nomine interesse usuræ stipulantur.

5°. De facto ad factum, ut si vendidi tibi ancillam cum pacto ne eam poneres in lupanari, alias sit libera; tu vero non in lupanari, sed in caupona, quod fere idem est, illam posuisti.

Alia sunt nuda, accidentalialia, & præter leges.

Nuda sunt, quæ causam non continent, & non valent, quia promissio sine causa nuda est; valent autem ad liberandum, licet ad agendum non valeant.

Si vero constituo me soluturum quod alius debet, valet, licet sit nudo pacto.

Accidentalialia sunt, quæ fiunt super iis quæ non sunt de substantia, nec de natura contractus.

Præter leges sunt, quando aliquid paciscitur, quod nec expresse prohibetur, nec expresse permittitur à lege, v. g. cum promittitur factum alienum: Attamen hæc pacta non valent, sed si in stipulatione apponatur poena, valet, licet principale non valeat, dummodo poena concipiatur in personam stipulantis.

De poena.

Pœna est= Quædam conventionalis stipulatio, quæ in contractibus, & pactis apponitur, ut si quis contraxerit, ea puniatur.

EXPOSITIO.

Conventionalis: Quia pœna debet apponi in instrumento de partium voluntate, & debet Notarius partes interrogare, quanta sit pœna.

Stipulatio: Quia si pœna promittatur sine stipulatione, id est nudo pacto, non valet.

Pœna apponitur in pactis, quæ fiunt secundum leges, contra leges, & præter leges.

Apposita pœna in pactis, secundum leges, peti, & exigi potest, ac etiam quæ apponatur in pactis præter leges, ut dictum est: si vero apposita sit in pactis contra leges, minime peti, nec exigi potest.

Pœna adjicitur: Quantitati pecuniæ, speciei, & facto.

Si quantitati pecuniæ adjiciatur, ut promitto tibi dare decem, sub pœna duplicata non valet.

Si vero adjiciatur speciei, ut promitto dare equum sub pœna tot librarum, valet.

Si facto, ut promitto domum ædificare sub pœna decem librarum, etiam valet.

Sed si pœna apponitur per hæc verba, duplum, triplum, quadruplum, tunc non valet, & non exigitur; si vero apponitur sub certa summa; ut centum, vel ducentum, integra quantacumque sit, peti potest.

De renuntiationibus, & beneficiis.

Renuntiatio est=Juris, beneficii, auxiliivæ à lege permissi, vel competentis, remissio.

Renuntiatio est duplex.

Generalis, quando fit verbis generalibus.

Specialis, quando certis juribus renuntiat.

Differentia inter ipsas est; quod generalis facta in
casi-

casibus, in quibus specialis requiritur, nihil præjudicat; specialis autem omnino præjudicat, & animum renuntiantis indicat talem fuisse, qualem ipsa verba expriment, nam de jure est expressam nocere, generalem vero non, nisi renuntietur juri dicenti generalem renuntiationem non valere, nisi præcesserit speciali.

Beneficium est = Quod in favorem unius, & odium alterius introductum est.

Beneficium Macedonianum.

Beneficium istud est quoddam jus inventum principaliter in odium feneratorum, & secundario in favorem filiorum familias, ut isti, hæredesque, & fidejussores sui non teneantur de pecunia ipsis filiis familias absque patris consensu mutuata: Competit nedum filiis familias, eorumque hæredibus, ac parentibus, verum etiam illorum fidejussoribus, nam ea defensione qua principalis defenditur, eadem & fidejussor.

Huic beneficio renuntiari nequit, quia primario in odium feneratorum introductum est, & ultra quia daretur ansa delinquendi.

Ut Macedonianum competat, quatuor requiruntur.

1°. Quod sit filius familias.

2°. Quod accipiat pecuniam.

3°. Quod accipiat ex causa mutui.

4°. Quod accipiat sine patris consensu.

Tenetur autem filius familias de mutuo, & cessat beneficium Macedonianum in septem casibus.

1°. Si mutuetur res quæ consistat in pondere, vel mensura, ut frumentum, vinum, &c. nisi fraus adhibita

hibita esset, ut his distractis, filius familias pecunia utatur.

2°. Si accipiat pecunias ad liberandum se à creditore, à quo nequeat alias liberari.

3°. Si mutuetur pecunia, & in utilitatem patris convertatur.

4°. Si accipiat pecuniam mutuo usque ad quantitatem, quam pater non deberet recusare ei dare, ut studii causa, vel se alendi.

5°. Si accipiat mutuum de consensu patris.

6°. Si patrem familias esse dixerit per mendacium.

7°. Ratione publicæ ignorantix, quia patrem familias se esse videbatur, nam publicis patris muneribus fungebatur.

Beneficium minoris ætatis.

Competit minoribus toto tempore minoris ætatis, & etiam eo finito infra quadriennium.

Huic beneficio renunciari potest, & valet renuntiatio virtute juramenti, propter auctenticam: Sacramenta puberum.

Beneficium cap. Odoard. 3. extra de solutionibus.

Istud beneficium concessum est Ecclesiasticis, ut si ære alieno gravati solvendo non sint, & juratoriam præbeant cautionem de solvendo creditoribus si ad pinguiorem venerint fortunam, ab eisdem interea exacerbari non possint.

Et competit nedum Ecclesiasticis personis; verum etiam donatori contra donatarium: parentibus contra libe-

liberos; marito contra uxorem; socio contra generum; patrono contra liberos; cedenti bona, & generaliter omnibus qui habent beneficium, vulgo dictum competentia; hoc est, ut quis conveniatur solummodo in quantum facere potest.

Huic beneficio Clerici non valent renuntiare, quia concessum est statui clericali, ceteri autem renuntiare possunt, præcipue cum juramento.

Beneficium fori.

Hoc beneficium competit forensibus, & eorum fidejussoribus, & dicit quod actor sequi debet forum rei, & non reus forum actoris, cui beneficio renuntiare potest, nisi privilegium fori concessum sit alicui hominum ordini, cui privatus præjudicare non potest.

Lex si convenerit, ff. de jurisdictione omnium judicum.

Hæc lex dicit, quod si conventum est inter partes, quod iudex cujus jurisdictionis non sunt, iudicet, seu cognoscat; licitum est eis, antequam lis contestetur, pœnitere, & ab ipsa conventionem discedere, cui legi renuntiare potest, & habet locum renuntiatio, præcipue si apponitur illa assueta clausula submit- tens, & supponens, &c.

De jure revocandi domum.

Jus revocandi domum dicit, quod si aliquis convenitur in aliquo loco, ubi domicilium non habet, nec ibi contraxit, non tenetur respondere, posito quod ibi

ad aliquam causam venerit, & habet jus revocandi domum; cui quidem juri optime renuntiatur.

De lege ubi acceptum est semel judicium.

Lex ista disponit, quod ubi incæptum est judicium, ibi finem habere debet; cui beneficio potest renuntiari.

Beneficium fori Clericorum.

Beneficium hoc competit Clericis, & nequit renuntiari, quia est introductum in favorem totius clericalis ordinis, & non alicujus singularis.

Beneficium S. C. Velleyani.

Beneficium Velleyani est quoddam jus inventum in favorem mulierum, ut istæ ob sexus imbecillitatem non lædantur.

Competit mulieribus fidejventibus, & pro alio se obligantibus; & ideo hujusmodi renuntiatio habet locum in illis contractibus in quibus mulier fidejuber, vel alienam in se suscipit obligationem.

Huic beneficio potest mulier renuntiare, dummodo debite per Notarium cercioretur, cujus cerciorationis forma est hæc, &c.

Honesta mulier, quoddam beneficium Velleyani adpellatum, fuit in tui, & aliarum mulierum favorem introductum, & dicit: Quod si mulier fidejuber, vel pro alio se obligat, non tenetur, nec tu propterea in hac obligatione teneberis, cui si renuntias, scito te omnino teneri; vis ergo ei renuntiare?

Authentica si qua mulier, Cod. ad Velleyanum.

Dicit : Quod si mulier se obligaverit cum marito in aliquo instrumento, aut se obnoxiam pro marito fuerit, talis obligatio, seu consensus nullus est, nisi manifeste probetur quod pecunia inde habita fuit in utilitatem mulieris conversa, & potest renunciare si cercioretur. Et licet authentica de marito expresse loquatur, idem est intelligendum si pro aliis mulier se obligat.

Beneficium novæ constitutionis de pluribus reis.

Beneficium istud præscribit, quod licet duo, vel plures sint obligati insolidum ad solvendum aliquam quantitatem, non potest unus correus conveniri, si alii correi præsentés & solvendo sint, nisi pro virili parte sibi contingenti.

Habet locum renunciatio hujus beneficij in omni contractu, in quo duo, vel plures insolidum obligantur.

Consuetudo Barchinonæ loquens de duobus, vel pluribus insolidum se obligantibus.

Hæc consuetudo disponit, quod si sint duo, vel plures debitores principales insolidum obligati ad aliquam quantitatem, vel rem, non tenentur aliquidolvere nisi suam partem, etiamsi renuntiaverint dictæ novæ constitutioni, exceptis casibus quando cæteri debitores absentes, seu non solvendo existunt, nam tunc tenerentur pro toto : Et propterea, ut duo, vel plures insolidum teneantur, nedum debent renunciare supradictæ

prædictæ novæ constitutioni, verum etiam isti consuetudini, alias non tenerentur, nisi pro parte.

Epistola Divi Adriani.

Epistola Divi Adriani est quædam lex, cujus beneficium competit duobus, seu pluribus fidejussoribus, & dicit, quod si plures fidejussores sunt idonei ad solvendum, debet unusquisque conveniri pro virili parte sibi contingenti, & propter hoc fidejussores debent isti epistolæ renunciare.

Hujus epistolæ renunciatio locum habet in omnibus contractibus, in quibus duo, vel plures fidejudent.

Nova constitutio de fidejussoribus.

Istud beneficium competit uni fidejussori pro alio fidejubenti, & pluribus fidejussoribus intercedentibus pro aliquo, & differt ab epistola Divi Adriani, nam illa tantum inter plures fidejussores locum habet, & hæc nova constitutio dicit, quod si principalis est idoneus ad solvendum, debet primitus conveniri, quam fidejussor, & ideo isti novæ constitutioni renunciatur.

Hujus beneficii renunciatio habet locum in omni contractu in quo quis pro alio fidejubet.

Consuetudo Barchinonæ loquens de duobus, vel pluribus fidejussoribus insolidum se obligantibus.

Ista consuetudo sancit, quod si sunt duo, vel plures fidejussores insolidum obligati ad aliquam quantitatem,

utatem, vel rem, non tenentur, nisi pro virili parte sibi contingenti, quamvis renuntiaverint epistolæ Divi Adriani, exceptis casibus quando reliqui fidejussores absentes, vel non solvendo inveniuntur, nam tunc pro toto tenentur, & ideo ut duo, vel plures fidejussores insolidum teneantur, debent ultra dicta beneficia renuntiare huic consuetudini, alias non remanerent obligati nisi pro parte.

Cedendarum, & dividendarum actionum.

Beneficium istud dicit, quod si duo, vel plures obligantur in una, & eadem re, sive principaliter, sive fidejussorie, simul & insolidum, potest qui ad solutionem compellitur postulare, ut creditor sibi cedat jura, & actiones quas habet contra alios obligatos: Quod si creditor facere nolle, potest debitor solutionem recusare; æquitas enim naturalis suadet, ut quis faciat quod sibi non nocet, & alteri prodest, & quæ cessio debet fieri ante solutionem, vel in actu illius, nam si ex intervallo fieret, non valeret, quia actio creditoris per solutionem evanuit.

Isti beneficio renuntiare potest, & habet locum in omni contractu in quo aliquis pro alio se obligat.

Exceptio non numeratæ pecuniæ.

Exceptio ista competit illi, qui sub spe futuræ numerationis confessus fuit se pecuniam ex causa mutui recepisse, quam revera non recepit; quapropter potest opponere hanc exceptionem infra biennium à die confessionis factæ.

Exceptio non solutæ pecuniæ.

Hæc exceptio competit creditori, qui sub spe futuræ numerationis confessus fuit se creditum accepisse, & revera pecuniam non accepit; quamobrem potest opponere exceptionem istam infra triginta dies à die confessionis factæ.

Exceptio non numeratæ dotis.

Hæc exceptio competit marito, qui sub spe futuræ numerationis confessus fuit dotem accepisse, quam vere non accepit, & ideo hac exceptione se tueri potest infra unum annum, si solutum fuerit matrimonium ante biennium; si vero post, sed intra decennium, infra tres menses, & si ultra decennium duraverit, cessat hæc exceptio.

Tribus exceptionibus proxime dictis renuntiari non potest, & si renuntietur, renuntiatio non impedit, quominus intra dicta tempora exceptio opponi possit; verum in hoc prodest renuntiatio, nam si non esset facta, incumberet adversario confitentis pecuniam se solvisse probare, & postquam renuntiatio facta est, incumbit confitenti, ac renuntianti se pecuniam non accepisse probare.

Beneficium juris hypothecarum.

Beneficium istud competit uxori in bonis mariti, nam omnia bona viri sunt tacite hypothecata uxori pro dote, cui beneficio renuntiare potest mulier, dummodo sit expresse cerciorata.

Lex julia de fundo dotali.

Lex ista in favorem mulierum introducta disponit, quod si mulier dedit in dote viro suo prædium, ut sit dotale, maritus ipsum obligare, seu alienare non potest, etiam uxore consentiente: Et ideo ut valeat talis alienatio, debet uxor dictæ legi renuntiare cum juramento.

Authentica sive à me.

Hæc authentica disponit, quod vir non potest alienare, vel obligare bona per eum uxori propter nuptias donata, licet uxor consentiat, nisi tunc alia bona supersint marito præter donata quæ alienantur, quæ tantum valeant sicut illa, alias mulieri contra possessorem bonorum sic per virum alienatorum actio in rem competit: Et ideo ut valeat talis alienatio, debet mulier dictæ authenticæ renuntiare cum juramento, cerciorata prius per Notarium.

Arbitrium boni viri.

Recursus ad arbitrium boni viri, hoc est ad iudicem ordinatum, habet locum in compromissis, & est quasi quædam species appellationis; & quamvis partes compromittentes sibi invicem promittant ex pacto non habere recursum à sententia arbitri, seu arbitratoris ad boni viri arbitrium, & dicto recursui renuntiaverint; non obstanti tali pacto, & renuntiatione, licet juramento fulcita, possunt partes reclamare, vel recurrere, nam dicta renuntiatio non valet, quia daretur arbitris, & arbitratoribus occasio delinquendi, & iniquam sententiam proferendi.

Beneficium erroris calculi.

Beneficium istud dicit, quod si in aliquo contractu erraverint partes in computatione, debent iterum fieri computationes, licet pluries factæ essent, nisi huic beneficio esset expresse renuntiatum.

Exceptio doli mali.

Hæc exceptio habet locum, quando quis dicit se dolo, aut calliditate alicujus inductum esse.

An huic exceptioni renuntiari possit? Dic quod dolus præteritus remitti potest, non autem dolus futurus.

Beneficium conditionis incertum.

Hoc beneficium habet locum quando hæres institutus à patre in testamento vult vendere de bonis paternis aliquid substitutioni subjectum, & facit renuntiare fideicommissarium omni juri virtute fideicommissi sibi pertinenti tunc, & etiam in futurum; cujus beneficii renuntiatio non valet, quia juri futuro nemo renuntiare potest, quamvis per pactum possit jus futurum remitti.

Lex si unquam 8. Cod. de revocandis donationibus.

Hæc lex tribuit donatoribus facultatem, liberis autem susceptis post donationem factam, eam revocandi, sive sit de omnibus bonis, sive de re considerabili; nam stat legis præsumptio patrem de prole non cogitasse, & talem donationem facturum non fuisse si
exti-

extituram sibi sperasset; si huic legi specialiter renuntiatur, cum cessat jam talis præsumptio, valet renuntiatio.

Lex fin. Cod. eodem tit.

Hæc lex tribuit donatoribus facultatem revocandæ donationis, si ingratus erga ipsum donatarius existat, & nequit renuntiari, quia daretur causa delinquendi.

Lex qua deceptis.

Disponit, quod si venditor est deceptus ultra dimidium justî pretii, debet rescindi contractus, vel sibi solvi quod res vendita plus valet; huic legi assuetum est renuntiari.

Leges 1^a. & 2^a. Cod. ne fidejus. vel mand. dot. dent.

Hæc leges prohibent ne fidejussores dentur à marito pro dote restituenda, ne hac occasione causa perfidiæ in connubio generetur, si vero non mulier, sed extraneus dotem det, poterit exigî fidejussor à marito, nam tunc cessat supradicta ratio.

Lex si duobus 3. §. Emptor, Cod. com. de legatis : Lex si fundum 27. Cod. de evictionibus.

Renuntiatur istis legibus per vendentem rem subiectam substitutioni, quia cum illis cayetur talem rem alienari non posse, & quod si emptor sciret rei gravamen, perdat rem, & pretium.

EXPOSITIO.

Jus, id est legitima facultas.

Persequendi, id est petendi.

In judicio, id est coram competente giudice.

Quod sibi debetur; nam actio introducta fuit ut unicuique suum jus tribuatur.

Actio est triplex.

1°. *Personalis*, quæ nascitur ex contractu, vel quasi, maleficio, vel quasi.

2°. *Realis*, quæ non descendit ex contractu, seu quasi, sed venit in rei vindicatione utili, & directa.

3°. *Mixta*, quæ utramque continet.

Actio etiam est.

Utilis, quæ datur non ex jure aliquo directo, sed quæ utiliter ex æquitate competit.

Directa, quando aliquid directe petitur in judicio, ut ex commodato, vel deposito, & aliis.

Indirecta, quando aliquis petit in judicio alio mediante.

Ordinaria, quæ descendit ex contractibus nominatis.

Extraordinaria, quæ descendit ex iudicis officio.

In factum, quæ competit emptori contra venditorem, ut sibi tradat rem; seu venditori contra emptorem, ut sibi solvat pretium.

Præscriptis verbis, quæ nascitur ex permutatione rerum, & regulariter ex omni contractu innominato.

Popularis, quæ jus populi tuetur.

Civilis, quæ à jure civili adinventata est, & ex qualitate legum descendit.

Prætorias, quæ à prætoribus verbis introductæ.

De restitutione in integrum.

Restitutio in integrum est prioris status reintegratio; quia ille qui petit restitutionem, petit contra contractum reintegrari, scilicet rem recuperare, & pretium restituere.

Potest peti restitutio à minore toto tempore suæ minoris ætatis, & illa finita intra quadriennium continuum: à majore intra quatuor annos à die contractus: & ab ecclesiis, collegiis, locis piis, & universitatibus inter quadriennium à die scientiæ.

De juramento.

Juramentum est: Invocatio tacita, vel expressa divini numinis tamquam primæ, & infallibilis veritatis in testem alicujus rei.

Juramentum est duplex, judiciale, & extrajudiciale; judiciale autem, aliud est voluntarium, quod pars parti præstat in judicio; & aliud necessarium, quod judex alicui patri defert.

Extrajudiciale juramentum est triplex; scilicet assertorium, quo juratur de præterito, vel præsentis: Confirmatorium, quod imponitur ad validitatem contractus: Promissorium, quo juratur de futuro.

Juramentum confirmatorium, quod imponitur ad validitatem contractus, non est permissum in omni contractu, sed in illis tantum in quibus ad validitatem requiritur, ut in venditione, compromisso, dote, donatione, & in quocumque contractu domini translativo.

Damnum est: Diminutio patrimonii, vel famæ.

Damnum est triplex; enorme scilicet, modicum, & minimum,

Enor.

Enorme est illud, quod excedit dimidium justipretii, & de isto datur restitutio majori, & minori.

Modicum, quod modicam in se continet læsionem, & de isto datur restitutio solum minori.

Minimum, quod minimam amplectitur læsionem, & de isto nulli datur restitutio, nec majori, nec minori.

Juramentum minoris privat eum restitutione modici damni, si dicit non venire contra contractum ratione minoris ætatis.

Et si cum juramento dicit non venire contra contractum ratione minoris pretii, vel ponitur illa clausula: Et si plusquam; tunc ipse minor privatur restitutione enormis damni, prout enim major privatur eadem ratione.

De instrumentis.

Instrumentum est = Scriptura ad probationem negotii, memoriæ causa perpetuo facta.

Quintuplex est instrumentum.

1°. **Publicum.**

2°. **Privatum.**

3°. **Apoca.**

4°. **Antipoca.**

5°. **Forense.**

Publicum instrumentum illud est: Quod manu publici Notarii factum est.

Et ut dici possit publicum instrumentum, publicam debet habere formam, id est quod publicationes habeat, quæ publicum, & fidedignum reddant instrumentum.

Instrumentum privatum illud est: Quod manu privata personæ confectum est.

Et

Et private dicuntur personæ, quo ad hoc, omnes præter Tabelliones.

Apoca est: Scriptura facta de receiptis per creditorem debitori, qui per eam ostendit se solvisse quod debebat; & hæc fit ad commodum, & utilitatem debitoris.

Antipoca est: Scriptura facta de solutis per debitorem confitentem se solvisse nomine pensionis tot libras occasione certi censualis mortui, & creati.

Et hæc ad utilitatem creditoris ordinatur.

Florense instrumentum illud est: Quod est confectum ex his quæ fiunt in foro; vel illud: Quod fit in judicio, ut relationes nuntiorum.

In quolibet instrumento duo sunt necessaria.

Publicationes scilicet, & negotii tenor.

Sex sunt publicationes, nimirum.

1^o. Dies. 4^o. Locus.

2^o. Mensis. 5^o. Testes.

3^o. Annus. 6^o. Et nomen Notarii.

Instrumentum guarentigiatum est = Illud, quod ex privilegio, seu statuto paratam habet executionem, ita ut ejus vigore competat actio sine strepitu, & figura judicii, de facto incipiendo ab executione reali, & personali.

Guarentigia est = Præceptum quoddam, quod fit per Notarium de instrumento rogatum ex potestate sibi ab statuto concessa parti roganti, ut observet in illo instrumento contenta.

Item est = Quidam contractus paratam habens executionem Notarii jussu, habentis jurisdictionem mandati.

Signum Tabellionis non est necessarium in instrumento, sed apponitur ob majorem litterarum comparationem, & usitatam consuetudinem.

Eligit proprium signum unusquisque Notarius in Hispania, quod Regi proponit, & Rex ei utendum tribuit, ideoque mutari, seu variari nequit.

Instrumento publico, & in publicam formam sumpto, plenaria fides datur.

Tenor, sive materia, aut narrativa instrumenti debet esse.

1^o. *Brevis*, quæ fiet si incipiamus ubi necesse fuerit, neque progrediamur ultra quod opus sit, nec continuemus res impertinentes. Si non repetimus semel dicta, aut quæ ex jam dictis comprehendi possunt.

2^o. *Dilucida*, si servamus ordinem rerum, temporum, & locorum, & si brevitate utemur, aut illam fugiamus, casu quo brevitatis causa, obscura, & absque necessaria declaratione materia remaneret.

3^o. *Vera*, id est certa, si ad naturam, & rerum consuetudinem accommodata sit, nec aliquid addatur quod sensum mutet.

Contrahentes debent in instrumento declarari nomine, pronomine, cognomine, & agnomine ipsorum, & quantitates pecuniæ apponi debent extense, & non abbreviate.

Nomen est = Vox rei imposita, per quam impositionem rem nominamus, ut Franciscus.

Pronomen est = Nominis designatio ab aliquo propinquorum, ut Bernardus filius Petri.

Cognomen est = Nominis designatio à progenie, vel parentela, ut Gabriel Gener.

Agnomen est = Quod alicui ponitur ab eventu, dignitate, vel professione: à eventu, ut Scipio Africanus: à dignitate, ut Joannes Episcopus: à professione, ut Paulus Notarius.

PRIMA PARS.

DE CONTRACTIBUS, ET PACTIS.

CAP. I.

DE CONTRACTIBUS ALIENATIONIS.

§. I.

De Emptione, & Venditione.

VENDITIO est = Alicujus rei pro certo pretio distractio.

Emendi, & vendendi origo tenet noster bene meritus Com. *Virid. tom. 1. cap. 20. §. 4. in princip. ex Mynsing. in l. 1. ff. hoc tit.* à rerum permutatione esse deventus, quia cum adhuc pecuniæ non essent, res pro re permutabatur; sed quod contractus emptionis, & venditionis antiquior sit permutationi, videtur ex sacra pagina *Genes. 23*, nam secundum *Erra Historia veteris, & novi Testamenti tom. 1. lib. 2. cap. 4*, annò mundi 2145, à diluvio universali 481, & ante partum virginæ 1855, quo tempore adhuc non erant jura civilia; mortua Sara in Civitate Arbee, quæ est in Hebron, Abraham illius vir petiit à descendentibus Heth ut sepellire sinerent mortuam suam Saram in spelunca duplici, pro qua traderet dignam quantitatem. Cui Ephron Princeps Hebron, terram quam postulas 400. siclos argenteos valet, quam quantitatem solvit Abraham pro pretio possessionis sepulchri; & cum ante dictum tempus non inveniatur in dicta sacra pagina, nec in aliis scriptoribus contractus permutationis, ideo ab isto venditio originem non traxisse videtur.

EXPOSITIO.

Alicujus : Non omnis , nam sunt res quæ alienari non possunt , neque in contractum deduci.

Rei : Idest mobilis , & immobilis , corporalis , & incorporalis , præsentis , & futuræ.

Pro certo pretio : Quia in venditione requiritur pretium , & debet esse certum.

Distractio : Nam rei dominium à venditore distrahitur , & in emptorem transfertur.

EMPTIO est = Alicujus rei pro certo pretio acquisitio.
Venditio est duplex.

1. In scriptis , de qua agitur inter contrahentes à principio , ut inde fiat scriptura.

2. Sine scriptis , de qua non agitur ut scriptura fiat.

Differentia inter ipsas est : Quod in venditione in scriptis , donec charta sit firmata inter partes , est locus poenitentia , & si res perit , perit periculo venditoris : in venditione vero sine scriptis non , & si perit res , periculo emptoris perit.

In venditione tria considerantur.

1. Substantia , quæ dat esse contractui.

2. Natura , quæ nascitur ab esse perfecti contractus.

3. Accidens , quod non est de substantia , nec de natura.

De substantia sunt duo in venditione.

1. Pretium verum , certum , consistens in pecunia numerata.

Verum : Idest non fictum , nec simulatum.

Certum : Idest certam continens pecuniæ quantitatem , non autem incertam , bene tamen potest conferri in arbitrium tertii.

Consistens in pecunia , & non in alia re : Idest quod pretium contineat in se aliquam pecuniæ quantitatem , ut quadraginta , quinquaginta , centum libras , &c.

Res

2. *Res* : Quæ debet esse talis, quæ alienari possit.
De natura venditionis sunt traditio rei, & evictio.
Venditio tribus perficitur modis.

1. Solo consensu contrahentium, & non unius in venditione sine scriptis.

2. Per consensum, & finalem actum scripturæ in venditione in scriptis.

3. Per rei traditionem, & pretii solutionem in utraque.
Dissolvitur etiam tribus modis.

1. Per contrarium consensum in primo casu.

2. Per contrarium actum scripturæ in secundo.

3. Per rei traditionem, & pretii restitutionem in ambobus.

Venditio continet regulariter sex capitula, quæ sunt:

1. Contrahentes : 2. Res vendita : 3. Traditio rei :

4. Pretium : 5. Evictio : 6. Juramentum.

Venditio inter virum, & uxorem fieri potest, & valet, dummodo vera sit, & non simulata.

Ut res vendi, seu alienari possit, quatuor requiruntur.

1. Quod venditor sit habilis ad contrahendum.

2. Quod sit dominus ; tamen etiam vendi potest res aliena.

3. Quod res sit talis, quæ in contractu deduci possit.

4. Quod fiat secundum juris ordinem, idest cum legitima causa.

In venditione rei, quæ non est, sed speratur : ut captio piscium, aut avium, vel perceptio fructuum, utpote bene ordinata sit, non solum pisces, aves, vel fructus vendi debent, sed etiam jus capiendi, seu percipiendi ; nam si pisces, aut aves non caperentur, vel fructus non perciperentur, hoc non obstanti non erit venditio sine re, nam jus loco rei succedit : Etsi jus illud non venderetur, & pisces, aves, aut fructus non

caparentur, vel perciperentur, res, sine qua esse non potest, venditio deficeret.

Expositio clausularum instrumenti venditionis rei immobilis.

In Dei nomine: Ad exemplum Sancti Pauli Apostoli, dicentis: Quidquid facitis, & quidquid dicitis, sive in verbo, sive in opere, totum in nomine Domini faciatis.

Titius: Quia deficiente venditoris nomine non extaret consensus.

Valitate: Quia in venditione semper utilitas venditoris præsumitur.

Gratis: Quia nemo contra suam voluntatem vendere cogitur.

Per me, & meos: Non est de substantia, nec de natura.

Vendo: Quia per hoc verbum demonstratur effectus contractus.

Concedo: Respectu jurium, & actionum incorporalium, quæ non traditionem, sed cessionem respiciunt, quia verbum hoc importat à jure translationem domini.

Trado: Respectu rerum corporalium; ipsæ enim traditionem, non cessionem respiciunt.

Seu quasi trado: Propter res incorporales, & servitutes, quæ rei venditæ inhærent, nam tradi non possunt.

Vobis Cayo: Quia deficiente emptoris nomine non extaret consensus, ut dictum est de venditore.

Præsenti: Quando emptor est præsens, nam necessaria non est ejus præsentia, nisi acceptatio requiratur, quia præsentia non intelligitur, nisi expresse dicatur, sed tamen præsumitur.

Et vestris, & quibus volueritis: Ad denotandum quod

res acquiritur nedum emptori, & suis, sed etiam extraneis, si emptor voluerit.

Perpetuo: In venditione perpetua apponitur tam pro parte emptoris, quam venditoris, ad differentiam venditionis instrumento gratiæ, in qua adverbium perpetuo est pro parte emptoris.

Fundum: Quia est de substantia venditionis; & debent exprimi qualitas, quantitas, locus, & confines.

Cum introitibus, & exitibus: Quia si fundus aliquos generales, vel speciales usus, egressus, & servitutes habet, rem venditam jure sequuntur.

Juribus, &c.: Quia per hæc verba omnia adjacentia, & ad rem venditam pertinentia, ut jus patronatus, &c. ipsam pariter sequuntur.

Et tenetur: Quando res est emphyteutica.

Et pertinet: Hæc clausula denotat dominium venditoris, & non est de substantia; sed ad uberiores cautelam emptoris apponitur, ut per eam de titulis certioretur.

Hanc autem: Hæc clausula restringitur ad casus expressos tantum, & excludit alium modum, & aliam legem, præter expressam.

Extrabens prædicta: Quia venditor tenetur rem emptori tradere. Eademque, &c. pleno jure, &c. Hæc clausula importat proprietatem, & possessionem.

Ad habendum: De jure, quia ille non habet, cui de jure habere non licet.

Tenendum: Idest naturaliter, & de facto.

Possidendum: Idest civiliter, & de jure in rebus allodialibus; naturaliter autem, & non civiliter in rebus emphyteuticis.

Ad vestras voluntates faciendum: Ex consuetudine.

Promittens tradere possessionem: Nam venditor emp-

tori possessionem, aut civilem, aut naturalem tradere tenetur.

Et in ea: Hæc verba sunt relativa ad evictionem, quæ, casu quo paciscatur de non teneri, sunt omittenda.

Vel vos: Ponitur quando venditor rem possidet jure proprio, nam si res est emphyteutica non potest adipisci possessio sine firma domini ratione, qua de causa in antiquis instrumentis invenitur: Firmato tamen prius hujusmodi instrumento domini ratione.

Ego enim interim, &c.: Hæc est clausula constituti, per quam venditor se nomine emptoris possidere confitetur.

Præterea ex causa prædicta cedo jura: Quia ceduntur emptori omnia jura, omnesque actiones, quæ traditionem non respiciunt, nam cessio nuda, & sine causa, utilem non transfert actionem in cessionario.

Quibus, &c.: Quia per hanc clausulam jurium, & actionum usus, & exercitium committitur emptori.

Ego enim facio, &c.: Quia per ipsam directæ actionis exercitium committitur, quæ cedi minime potest, & tunc emptor ea uti poterit, ut in re propria ipsius venditoris, & eandem actionem intentare.

Salvo jure, & salvo laudimio: Apponuntur hæc clausula quando res est emphyteutica.

Pretium: Quia sine pretio non potest esse venditio.

Renuntiando exceptioni: Nam si venditor exceptionem istam super conventionem pretii apponere vellet, postquam renuntiaverit, sibi incumberet prædicta probare.

Et legi qua deceptis: Ex consuetudine, prout dictum est super hac lege.

Dono si quid plus: Ad hoc ut venditor restitutionem petere non possit si deceptum esse præsumit.

Promitto de evictione: Quia evictio est de natura venditionis, & in omni casu venditor de ea tenetur, &

hæc

hæc clausula omittitur, quando pactum est quod venditor non teneatur de evictione, quo casu est addendum: neque de pretii restitutione; sed venditor semper tenetur de validitate contractus.

Obligatio bona: Nam si venditor naturaliter, & civiliter est obligatus, poterit emptor eum convenire, & expressam habens hypothecam tacitam, anteriorem habentibus præferatur.

Renuntians legi: Quia nisi venditor renuntiaverit, succurret eum ipsa lex.

Juro: Propter validitatem contractus.

Novissime: Ad dominicalium jurium fraudes tollendas, & pro Constitutionis generalis Cathalonie observatione apponitur.

Actum: Die, mense, & anno sunt ex publicationibus, quæ publicum, & fidedignum reddunt instrumentum.

Testes: Quia sic leges præcipiunt.

Revenditio est: Rei emptæ pro certo pretio acquisitio.

A P P E N D I X I.

De Arrhis.

ARRHA est = Argumentum emptionis, & venditionis contractæ, sed non perfectæ.

EXPOSITIO.

Argumentum: Idest maxima probatio quod contractus præcessit; inde si unus contrahentium contractum negaret, & ei datæ sunt arrhæ, & alter talem arrharum dationem probaret, tunc esset maximum argumentum præcedentis contractus, quem non est necesse probare, sed probando arrhas contractus probatur.

Emptionis, & venditionis: Quia sæpius in venditionis contractu, quam in aliis, arrhæ dantur.

Contractæ, &c. : Quia non dantur in venditione quoad omnes partes perfectæ.

Arrha est duplex.

1. *Nuda* : Quæ datur nomine arrharum tantum.
2. *Vestita* : Quæ nomine arrharum, & pro parte solutionis contractæ.

Contractus arrharum continet quinque capitula.

1. Contrahentes : 2. Res : 3. Traditio : 4. Promissio amborum : 5. Juramentum.

Arrha constitui potest in pecunia numerabili, re mobili, re immobili, auro, & argento.

Arrhas dant : Qui possunt alienare, & dantur illis, qui ad eas restituendas se obligare possunt.

Arrha in tres partes dividitur.

1. Confessio recipientis : 2. Promissio dantis arrhas : 3. Clausula generalis.

Pœna arrharum est : Quod si emptor venditionis contractu recedat, arrhas quas dedit deperdit; si venditor autem res cedat, iste nedum arrhas, quas recepit, sed etiam æqualiter de suo deperdet.

A P P E N D I X II.

De Censuali, & Violario.

CENSUALE est = Venditio juris percipiendi annuam, & rationabilem pensionem pro certo pretio, instrumento gratiæ redimendi mediante.

EXPOSITIO.

Venditio : Quia in eo concurrunt, quæ venditioni perfectæ essentiam præbent.

Juris : Quia ipsum jus, quod emptori ad annuam pensionem percipiendam conceditur, est hujus contractus materia.

Rationabilem pensionem : Idest justum , ac legitimum pecuniarium interesse.

Pro certo pretio : Nam certum pretium , prout in venditione , requiritur.

Instrumento gratiæ : Quia est de essentia ipsius contractus , nam semper quod venditori libet , censuale redimere potest.

VIOLARIUM est = Venditio juris percipiendi annuam & rationabilem pensionem , una , vel duabus vitis durantiis , pro certo pretio , facultate redimendi retenta.

Dicitur in hac definitione : Una , vel duabus vitis durantiis ; nam mortuis personis , ad quarum vitam conceditur , extinctum remanet.

De his contractibus dicendum est idem , quod de contractu emptionis , & venditionis ; tamen est advertendum , quod non valet pactum de solvenda pensione anticipata.

A P P E N D I X III.

De Possessione.

POSSESSIO est = Corporalis rei detentio , animi , & corporis , jurisque civilis adminiculo concurrente.

E X P O S I T I O.

Corporalis rei : Non autem incorporalis , nam solum corporalia possidentur. Incorporalia vero , ut jurisdictiones , actiones , jura , servitutes , &c. non possidentur , quia tradi non possunt , sed quasi possidere , & quasi tradi dicuntur per patientiam , & usum.

Detentio : Nam possessio naturaliter tenetur ab illo qui corporaliter ei insistit.

Corporis , & animi , &c. : Quia ut quis vere possideat , tria sunt necessaria : Corporis actus , animi affectus , & juris adminiculum.

Possessio est triplex.

1. *Naturalis* tantum; ut *emphyteota*, qui corpore possidet.

2. *Civilis* tantum; ut *dominus directus*, qui animo possidet.

3. *Naturalis & civilis* simul; ut qui rem possidet *jure proprio*.

Possessio etiam est triplex.

1. *Plena*: Ut qui animo, & corpore possidet.

2. *Semiplena*: Quam quis simpliciter habet, ut *legatarius de re sibi legata*, in cujus possessionem intravit mater habens in utero *legatarium*.

3. *Vacua*: Quæ propter negligentiam, aut absentiam à nemine detinetur.

Rursus vacua est: Quæ ab aliquo nec animo, nec corpore detinetur, & in qua nullus etiam simplex detentor est.

Dicitur, seu fit *vacua* tribus modis.

1. Per domini absentiam: 2. Per negligentiam: 3. Quando sine successore decessit.

Acquirimus possessionem per nosmetipsos, liberos nostros in potestate, servos nostros, & alienos, & homines liberos bona fide possessos.

Servatur possessio per colonos, inquilinos, & vassallos.

Possessio, & dominium multis modis acquiruntur.

1. Per traditionem: idest corporalem apprehensionem, & hæc possessio, quam quis corpore suo, vel saltim oculis, animi cum affectu, & voluntate tradentis adeptus est, dicitur *naturalis*, & etiam dicitur *civilis*: idest civili jure approbata, nam qui corpore possidet, naturalem possessionem habet, & qui animo civilem.

2. Effectu clausulæ constituti: Nam is possidet, cujus nomine possidetur.

3. Cum rem commodatam, depositam, vel locatam venditur, eo ipso quo venditor emptoris esse patitur, huic eam tradit.

4. Si quis merces in horreo positas, vel vina in cella existentia vendiderit, & claves horrei, vel cellæ emptori tradiderit, vina, vel merces ipsi tradita esse videntur.

5. Si quis rem donaverit, & rei instrumentum donatario tradiderit, ipsam rem tradidisse apparet.

Possessor bonæ fidei est: Qui rem detinet alienam bonâ fide; idest nesciens talem rem esse alienam, & existimans esse suam.

Possessor malæ fidei est: Qui detinet rem alienam mala fide, certo sciens talem rem esse alienam, & non suam.

Virtus, & effectus possessionis est: Quod si tradens erat dominus, dominium in accipientem transfertur.

Duo unam rem communiter possidentes, minime in solidum possidere, nec eam vendere possunt.

Res indivisa est: In qua plures domini, quilibet pro suo jure, conjunctim dominium habent.

A P P E N D I X IV.

De Evictione.

EVICTIO est = Rei emptæ, vel alio justo titulo acceptæ, per judicis sententiam alio evincente, causæ amissio.

EXPOSITIO.

Rei emptæ: Quia emptor (si res evincatur) potest agere contra venditorem.

Vel alio justo titulo acceptæ: Quia non solum agitur de evictione per venditionem, sed etiam per alium quemcumque titulum possessionem transferentem.

Per

Per judicis sententiam : Quia si non est lata judicis sententia contra possessorem, evictionarius non tenetur.

Alio evincente, causæ amissio: Quia re ab alio evicta, & amissa causa, ille, cui res evicta est, debet agere de evictione.

Possunt agere de evictione.

Emptor. = Permutator. = Dividens. = Emphyteota. = Superficiarius. = Vassallus. = Accipiens insolutum. = Donatarius, si cautum fuerit = Maritus pro re æstimata sibi data in dotem.

Si quis promisit de evictione, tenetur in quinque casibus.

1. De ulterius lite non movenda super rem venditam, nec alicui moventi consentire: 2. De legitima defensione: 3. De ratihabitione: 4. Si in re vendita mota fuerit lis, ipsam secundum jus defendat: 5. Quod ipsam rem ab omni lite expeditam reddat.

Venditor non tenetur de evictione in quinque casibus.

1. Quando emptor mala fide emit: 2. Quando per pactum est actum, quod venditor non teneatur: 3. Quando emptor non denunciavit venditori rem esse evictam, seu litem motam fuisse; nisi expresse onus denunciandi remisisset: 4. Quando res est evicta per negligentiam, aut quia emptor noluit iudicio interesse, aut alias: 5. Quando emptor noluit appellare, nisi appellandi necessitas expresse remittatur.

Si quis noluit de evictione teneri, addendum est: *Neque de pretii restitutione*, alias tenetur; nam nisi ita expresse dicatur, semper ad interesse teneretur.

Procurator vendens etiam jam finito mandato, de evictione teneretur, nisi expresse caveatur.

De Servitutibus.

SERVITUS est = Jus quo amittitur aliquid libertati, quam dominus in re sua habet, & id conceditur personæ, vel rei alienæ.

Servitus est triplex: 1. Personalis: 2. Realis: 3. Mixta.

Servitus personalis est = Constitutio juris gentium, per quam quis contra naturam alieno dominio subicitur.

EXPOSITIO.

Constitutio juris gentium: Idest unum de juris gentium statutis.

Contra naturam: Idest contra jus naturale; quia primo omnes homines erant liberi.

Alieno dominio, scilicet alienæ potestati.

Servitus realis est = Quoddam jus prædio inhærens, & ipsius utilitatem respiciens, & alterius prædio jus, sive libertatem diminnens.

EXPOSITIO.

Quoddam jus: Ad denotandum esse quid incorporeum.

Prædio: Non personæ.

Inhærens: Quia non est de substantia prædii.

Ipsius utilitatem: Quia nisi utilitatem prædii respiceret, non potest constitui servitus.

Alterius prædii, &c. Quia non potest esse prædium serviens sine prædio dominante.

Mixta servitus est: Jus quoddam, quod habet persona aliqua utendi, fruendique rebus alienis.

Servitus realis est duplex.

1. *Urbana*, quæ in edificiis in urbe, vel villa constructis, est constituta.

2. *Rustica*, quæ prædio rustico debetur.

Hæc

Hæc est quadruplex.

1. Iter : 2. Actus : 3. Via : 4. Aquæductus.

Iter est = Jus hominis eundi, & ambulandi, non enim jumentum agendi, aut vehiculum.

Actus est = Jus hominis eundi, ac ambulandi, agendi jumentum, vel vehiculum.

Via est = Jus eundi, & ambulandi, ac trabes, vehicula, & similia trahendi.

Aquæductus est = Jus aquæ ducendæ per fundum alienum.

Servitus prædialis ad minus quatuor modis constituitur.

1. Venditione : 2. Pactione : 3. Stipulatione : 4. Ultima voluntate.

Servitus amittitur quinque modis.

1. *Confusione*, si utriusque prædii idem fiant domini.

2. *Remissione*, sive totius servitutis, sive partis; quia unicuique licet jus suum remittere, admittendo actum servituti contrarium.

3. *Resoluto jure concedentis* : Cum nemo plus juris in alium transferre possit quam ipse habet.

4. *Lege, & pacto*; quia pactum servituti contrarium, ipsam destruit.

5. *Non utendo* : Idest per non usum, legitima præscriptione interveniente.

Servitus servitutis esse non potest.

Nequit servitus alienari, nisi expresse paciscatur, quod de concessa servitute alienatio fieri valet, dicens : *vobis, & vestris*.

Prædialis servitus locari non potest.

Servitus mixta est triplex.

1. Ususfructus : 2. Usus : 3. Habitatio, de quibus in sequenti Appendice tractabimus.

APPENDIX VI.

De Usufructu, Usu, & Habitatione.

USUSFRUCTUS est = Jus utendi, & fruendi alienis rebus, salva tamen rerum substantia.

EXPOSITIO.

Jus: Idest servitus, quam quis in rebus alienis habet à proprietate separatam.

Utendi: Ad differentiam juris, quod habet creditor in rebus alienis pignoris.

Fruendi: Ad excludendum nudum usum.

Alienis rebus: Non enim de propriis ususfructus percipitur.

Salva tamen rerum substantia: Idest cautione præstita de substantia servanda.

Ususfructus est duplex.

1. *Formalis*: Quia à proprietate separatus est.

2. *Causalis*: Qui ex proprietate, & dominio descendit, ut hæres gravatus.

Ususfructus constituitur in donatione per reservationem, & in ultima voluntate, & in omnibus rebus, quæ usu non consumuntur, & quæ usu tolluntur, vel diminuuntur; sed si in pecunia constituitur, dicitur quasi ususfructus.

Quatuor modis finitur ususfructus.

1. Morte usufructuarii, dempto casu quo filiofamilias fuerit relictus.

2. Capitis diminutione maxima, vel media.

3. Non utendo certo tempore; nam si quis intra decem annos inter præsentis, & viginti inter absentes usumfructum non capit, eum amittit.

4. Si proprietarius usufructuariæ proprietatem cedit, & è contra si usufructuarius usumfructum cedit proprietario.

Et

Et præter his, quamplurimis aliis modis finitur.

USUS est = Jus rebus alienis utendi, salva rerum substantia.

HABITATIO est = Jus habitandi in ædibus alienis, salva ipsarum substantia.

Usuarius est = Qui solum usum in re habet, v. g. Solam, & nudam in domo habitationem.

Usufructuarius. Ampliorem usum, quam usuarius habet, nam usufructus vendi, & alienare potest; dummodo jus personale sibi remaneat.

APPENDIX VII.

De Capitis diminutione.

CAPITIS diminutio est = Prioris rei status mutatio.

Capitis diminutio est triplex.

1. *Maxima*: Cum aliquis simul civitatem, & libertatem amittit.

2. *Minor, seu modica*: Cum civitas quidam amittitur; libertas vero retinetur.

3. *Minima*: Cum civitas retinetur, & libertas, seu status hominis commutatur.

§. II.

De Permutatione.

PERMUTATIO est = Unius rei pro alia vicissitudinaria traditio.

EXPOSITIO.

Unius rei pro alia: Scilicet utraque habilis, & idonea, quæ in contractu deduci possit.

Vicissitudinaria: Idest hinc inde; nam una pars alteri rem à se permutatam tradere tenetur.

Traditio : Nam unusquisque permutator dominum rei per ipsius traditionem alterum tenetur facere.

Permutatio quinque capitula continet.

1. **Contrahentes** : 2. **Res permutata** : **Traditio ipsarum** : 4. **Evictio** : 5. **Juramentum**.

Et tres partes.

1. **Pacta unius permutatoris** : 2. **Pacta alterius** : 3. **Clausula generalis**.

De substantia permutationis sunt.

Res certa pro re certa.

De natura sunt duo.

1. **Rei traditio** : 2. **Evictio**.

Permutatio rei interventu ex utraque parte contrahitur ; nam esset venditio si res pro pecunia ; aut contractus innominatus , do ut des , si res certa pro incerta daretur.

Permutare possunt qui aliàs possunt contrahere , non autem minor , tutor , curator , & merus executor ; quia voluntaria est permutatio , & illorum rerum alienatio necessaria esse debet.

Permutari possunt omnes res , quæ aliàs alienari , & in contractu deduci valent.

Permutatio , & venditio in octo differunt.

1. **Venditio est contractus nominatus** , permutatio innominatus.

2. **Venditio solo consensu perficitur** , permutatio rei interventu.

3. **Venditio sex capitula continet** , permutatio quinque , & ultra per partes dividitur.

4. **In venditione res ex una parte** , & pretium ex alia requiruntur ; in permutatione res ex utraque parte.

5. **Venditor improprie rem tradere potest** ; idest emptorem in vacuum possessionem inducere in rebus em-

phyteoticariis, permutator vero rem proprie tradere tenetur; idest dominum rei facere, quamquam res sit emphyteutica.

6. In venditione solum traditur res à venditore: in permutatione ex utraque parte.

7. Ex venditione actio ex empto, & vendito oritur; ex permutatione actio præscriptis verbis.

8. Res aliena vendi potest, non autem permutari: hoc est bona administrata per manumissores, & alios, qui nec proprietatis, nec ususfructus aliquid habent, & etiam quæ venduntur per meros executores sunt aliena, & vendi possunt, cætera vero non.

Conveniunt vero in quinque.

1. Ex utraque actio usucapiendi paratur.
2. Evictio, & ratihabitio ex utraque præstatur.
3. Utraque est bonæ fidei contractus.
4. Qui possunt vendere regulariter permutare.
5. Sicut venditor debet rem tradere, ita permutator, modo tamen dicto in quinta differentia.

§. III.

De insolutum Datione.

INSOLUTUM DATIO est = Quædam innominata conventio de re pro debito danda, ex cujus rei traditione dominium transfertur in accipientem.

EXPOSITIO.

Innominata conventio: Quia insolutum datio est contractus innominatus, sub his verbis, do ut facias, comprehensus.

De re pro debito danda: Nam traditur res pro debiti solutione.

Ex cujus rei traditione, &c.: Quia per rei insolutum da-

data traditionem, accipiens dominus ejusdem efficitur.

Insolutum dare possunt, qui alias contrahere, & alienare valent. Omnes res quæ alienari non prohibentur, possunt insolutum dari.

Fit insolutum datio creditori habere debenti, & volenti, ac personam habilem ad recipiendum habenti.

De substantia insolutum dationis sunt duo.

1. Causa donationis: 2. Res donata.

De natura alia duo.

1. Rei traditio: 2. Evictio.

Insolutum datio sex capitula continet.

1. Contrahentes: 2. Donationis causa: 3. Res data: 4. Rei traditio: 5. Evictio: 6. Juramentum.

Insolutum datio, venditio, & permutatio conveniunt in sex.

1. Qui possunt vendere, & permutare, possunt insolutum dare.

2. Res quæ vendi, & permutari possunt, etiam insolutum dari.

3. Sicut venditor, & permutator; ita insolutum dans de evictione tenetur.

4. Quemadmodum venditor, & permutator, insolutum dans rem tradere debet.

5. Sicut in venditione, & permutatione dantur actiones quanto minoris, & redditoria, ita pariter in insolutum datione.

6. Prout emptor, & permutator usucapiant, seu rem præscribant, ita insolutum accipiens.

Differunt autem insolutum datio, & venditio in tribus.

1. Venditio est contractus nominatus, insolutum datio innominatus.

2. In venditione requiritur res, & pretium, in insolutum datione res, & causa.

3. In actionibus.

Insolutum datio, & permutatio differunt.

1. Quia permutatio dividitur per partes, & continet quinque capitula, insolutum datio vero sex capitula continet.

2. In permutatione res ex utraque parte requiritur, in insolutum datione res, & causa.

§. IV.

De Donatione.

DONATIO est = Translatio domini alicujus rei, per actum mere liberalem, in alium facta.

Donationum species sunt sex.

1. Donatio simplex: 2. Donatio causa dotis: 3. Donatio propter nuptias: 4. Sponsalitia largitas: 5. Legatum: 6. Donatio causa mortis.

Donatio simplex est = Quædam mera liberalitas à dante in accipientem collata, quæ nullo jure cogente conceditur.

EXPOSITIO.

Quædam: Ad aliarum donationum differentiam.

Mera: Idest pura, & vera, ac sine causa.

Liberalitas: Nam datio ex liberalitate procedit: Idest sponte, & ex voluntate, non autem coacte.

Quæ nullo jure cogente conceditur: Nam hæc donatio non fit ex obligatione, & debito justitiæ.

Liberalitas est = Motus quidam animi largitatem sine spe retributionis efficiens.

Donatio quatuor capitula continet.

1. Contrahentes: 2. Res data: 3. Rei traditio: 4. Juramentum.

De substantia donationis sunt duo.

1. Res data: 2. Contrahentium consensus.

Do-

Donare possunt omnes, qui aliàs contrahere, & de rebus suis alienare valent.

Donare nequeunt decem.

1. Minor. 2. Tutor. 3. Curator, nisi det pupilli magistro. 4. Negotiorum gestor. 5. Pater bona filii. 6. Procurator generalis, nisi expressum mandatum habeat. 7. Cohæres, nisi alter hæres consentiat. 8. Socius, nisi alter socius consentiat. 9. Qui rem communem habet sine alterius consensu. 10. Prælati Ecclesiæ, nisi det Episcopo.

Donari potest omnibus sensum, & consonum intellectum habentibus.

Donari vero regulariter non potest.

Furioso. = Mentecapto. = Muto. = Surdo. = Prodigio; attamen remedium est, quod ad donatoris petitionem ei, cui facienda est donatio, curator assignetur, qui, iudicis auctoritate, & decreto medianibus, donationem acceptare potest.

Donari etiam potest infantibus, posthumis, & aliis, pro quarum acceptatione legitima persona adsit.

Nec non absentibus, dummodo sit qui pro ipsis acceptet, ad hoc ut donatio revocari nequeat, nam ante acceptationem revocari potest.

Donari possunt res, quæ nostro subjici imperio, & in contractu deduci valent; ideoque res sacræ, religiosæ, &c. donari nequeunt.

Donatio contrahitur.

1. *Pure*: Quando dies, nec conditio apponitur.
2. *In diem*: Ut dabo tibi centum usque ad Pascha.
3. *Sub conditione*: Ut dabo tibi centum, si pater te emancipaverit.
4. *Ex incerto tempore*: Ut dono tibi domum, ad hoc ut post obitum meum ipsam possideas.

Sub

5. *Sub causa*: Ut quia mihi advocatus fuisti, centum tibi dono; quæ potius remuneratio dicitur.

6. *Sub modo*: Ut dono codicem, ut digestum scribas.

7. *Ob causam*: Idest ob matrimonium contrahendum.

Pater filio in potestate existenti donare non potest, nisi in his casibus.

1. Propter nuptias: 2. Causa dotis: 3. Equum, & arma ad bellum, seu libros ad studia eunti: 4. Alimentorum causa, vel ad sacros ordines consequi, aut si usumfructum in adventiis remiserit.

Mater filio donare potest, quia eum in potestate non habet.

Donatio universalis inter virum, & uxorem non valet, ne nimio amore expolientur.

Donatio inofficiosa est = Illa quæ fit aliis, per quam filio non remanet integra sua legitima.

Donatio vero officiosa est = Illa per quam filius lucratur ultra legitimam.

EXPOSITIO ALIQUORUM VERBORUM INSTRUMENTI DONATIONIS.

Donatio pura: Idest sine causa.

Perfecta, simplici, & irrevocabili: Idest simplici conventionione facta, quia tunc est irrevocabilis.

Inter vivos: Ad differentiam donationis causa mortis, & legati.

Acceptanti: Quia in donatione requiritur acceptatio.

Non revocare: Quia donatio animo numquam revocandi fieri debet, licet aliquibus de causis revocari possit.

Acceptatio donatoris apponitur, pro ut dictum est sub verbo *Acceptanti*.

Insinuatio apponitur ratione in ipsius Appendice exprimenda.

Reservatio ad testandum apponitur quando donatio est universalis, quæ reservatio ad minus bonorum datorum vigesimæ partis debet esse, aut saltem illius partis, qua mediante verosimile sit hæredem suum esse volentem, donatorem invenire, alias donatio non valeret.

Donator non tenetur de evictione, nisi expresse paciscatur.

A P P E N D I X I.

De insinuatione Donationis.

INSINUATIO est= Quidam actus denunciatorius, & declaratorius, in quo judicis ordinarii assensus petitur, & requiritur.

Donatio excedens summam quingentorum aureorum insinuari debet, si coram præside non facta fuerit.

In hac comprehenduntur variæ donationes.

1. Liberatio, seu remissio debiti per donationem, si debitum est liquidum, sævus si est illiquidum.

2. Donatio ad vitam donatarii, quia ex parte donantis est realis, & ad hæredes transitoria.

3. Renuntiatio hæreditatum delatarum, & deferendarum, quia dicitur vera donatio propter jurium cessionem.

Donatio sine insinuatione valet in his casibus.

1. Si detur in redemptionem captivorum.
2. Si detur ecclesiæ, aut loco pio.
3. Si Rex det, aut ei detur.
4. Si detur propter nuptias.
5. Si Magister militum det militi.
6. Si detur ad reparandum domum collapsam, aut exustam.
7. Si detur remuneratorie.

8. Si donatio fit ob causam.
 9. Si donatio est reciproca.
 10. Si in donatione adest onus, de futuro explicando, donatario injunctum.

A P P E N D I X II.

De revocatione Donationis.

Causæ propter quas donatio revocatur sunt.

Ingratitudo, offensa, & inopia.

Ingratitudo est = Vitium omnino delens beneficium collatum.

Offensa est = Idem est quod damnum, læsio, dolus, &c.

Inopia est = Necessitas à vera paupertate procedens.

Causa ingratitude est.

Si donatarius adimplere pacta conventa noluerit.

Causa offensæ sunt.

1. Si donatarius donatori injuriam atrocem, vel manus impias inferat.

2. Si jacturam bonis inferat.

3. Si insidias vitæ ejus procuraverit.

Donatio facta filio per matrem, quæ ad secundas nuptias convolvit, revocari non potest nisi in tribus casibus.

1. Si filius matri grave damnum intulerit.

2. Si illam vulneraverit.

3. Si ejus vita insidiatus fuerit.

Donatio per patronum liberto facta, obsequii non præstiti sola ratione, revocatur; libertas autem non.

Donator non potest per ingratitude revocare donationem hæredibus donatarii, nec donatoris hæres donatario; nam actiones istæ sunt personales.

De Feudo.

FEUDUM est = Rei immobilis ob homagium benevola facta concessio.

EXPOSITIO.

Rei immobilis: Quia de rebus immobilibus fieri debet.

Ob homagium: Idest ob debitum fidelitatis, & servitium personale, quod vasallus domino ob ejus honorem facit.

Benevola: Quia fit ex grata benevolentia.

Facta concessio: Non autem translatio, quia non transferuntur jura in vassallum, nisi quoad utile dominium, & naturalem possessionem.

Feudum in Cathalonia est individuum, emphyteosis vero dividua est.

Concedere possunt in feudum omnes, qui aliàs possunt contrahere, & sunt domini rerum, quas dant in feudum; sed sæpius in dignitate constituti esse solent.

Feudum concedi potest illis, qui ipsi subjici possunt, majoribus tamen quatuordecim annorum; libero homini; servo, dummodo dominus consentiat; masculo, & fœminæ.

Concedi non potest muto, & surdo, claudo, aut aliàs imperfecto; monachis utriusque sexus; impuberi, & aliis, qui feudo servire non possunt.

In feudum concedi possunt res immobiles tantum, quæ aliàs alienari possunt, non autem res sacræ, sanctæ, &c.

Succedunt in feudo solum descendentes legitimi, & naturales; idest ex justis nuptiis procreati.

Feudum quatuor acquiritur modis.

1. Per investituram: 2. Per aliud investituræ æquipollens: 3. Per successionem: 4. Per præscriptionem.

Contrahitur feudum honore domini, & amore vassalli.
Investitura feudi fit aliquibus vassallis præsentibus.

Novem causis revocatur feudum.

1. Si vassallus dominum periclitantem in bello dimiserit.
2. Si absque domini consensu feudum alienaverit;
hoc de jure communi.
3. Si mortem domini procuraverit.
4. Si feudo servire noluerit.
5. Si cum uxore, filia, vel nepte domini voluerit se
intromittere.

Aliisque quatuor ingratitude causis, propter quas
donatio revocatur.

Feudum in duas partes dividitur.

Prima pars sex capitula continet.

1. Contrahentes: 2. Res: 3. Traditio: 4. Evictio: 5.
Juramentum: 6. Investitura.

Secunda pars continet duo capitula.

1. Fidelitas: 2. Juramentum, seu homagium.

De substantia feudi sunt quatuor.

1. Contrahentes: 2. Res: 3. Fidelitas: 4. Personale
servitium.

De natura vero sunt novem.

1. Dominum sibi dominium retinere, & rei proprietatem, utile vero dominium in vassallum transferre.
2. Vassallum, si domino personale servitium non præstiterit, à feudo repellitur.
3. Absque domini voluntate feudum alienari non posse; contrarium vero extat Cathaloniz.
4. Feudum regulariter esse perpetuum.
5. Dominum per semetipsum, vel per Procuratorem vassallum in possessionem mittat; potest investire per Procuratorem.
6. De controversiis inter vassallos ortis dominum cognoscere.

7. Fœminam, nisi conventum fuerit, feudo succedere non posse; in Cathalonia tamen ab intestato succedit, & cum masculino in gratificatione concurrat.

8. Vassallum, absque domini voluntate, alium de eodem feudo vassallum facere non posse.

9. Nihil pro intrata dari.
Vassallus domino in sex tenetur.

1. De non faciendo contra domini factum.
2. De non procurando damnum in domini corpore, immo pro posse evitando.
3. De non procurando damnum in rebus domini, immo pro viribus utilia procurando.
4. De non revelando domini secreta in ipsius damnum, bene vere ad utilitatem.
5. De honestitate domini procurando.
6. De fideliter consulendo, & in rebus, & persona domino auxiliando.

Investitura est = Hastæ, vel alterius cujuslibet corporis porrectio à domino, investituram se facere dicente, factæ.

Investitura fit æquo, & ancipite, ut si Comes recipit feudum à Rege, vel Papa: ense, & cuiroteca, si quis feudum à Comite, vel Marchione accipit.

Fidelitas est = Fides, & securitas, quam in rebus, & personâ tenetur vassallus præstare domino suo.

Juramentum fidelitatis præstat per vassallum domino ob feudum.

Homagium est = Subjectio quædam, quam homo homini in corpore facere tenetur.

Castellanus est = Qui bona domini gubernanda ministrat.

De Emphyteusi.

EMPHYTEUSIS est = Rei immobilis ad in perpetuum, vel ad certum tempus alteri facta concessio, dominio, & proprietate retentis, sub conditione annuæ pensionis, & renovationis, finito tempore concessionis, faciendæ.

EXPOSITIO.

Rei immobilis: Quia res mobilis in emphyteusim concedi non potest.

Ad certum tempus, vel ad in perpetuum: Quia ad tempus, vel perpetuo fit.

Alteri: Idest habili ad se obligandum, & ad pensionem solvendam.

Facta concessio: Quia solum emphyteutica jura, quo ad naturalem possessionem, & utile dominium ceduntur.

Dominio, & proprietate retentis: Nam dominium directum, proprietas, & civilis possessio penes dominum remanent.

Sub conditione annuæ pensionis: Quia in emphyteusi pensio requiritur.

Et renovationis finito tempore faciendæ: Quia si temporalis est renovari debet; hoc de consuetudine non servatur in Cathalonia.

De substantia emphyteusis sunt duo.

1. Res : 2. Pensio.

Intrata apponitur in contractu emphyteusis ex consuetudine.

Pensio, seu census est: Id quod præstatur domino juxta conventa in emphyteoticatione.

De natura emphyteusis sunt quinque.

1. Quod si emphyteuta spatio duorum, vel trium annorum solvere pensionem cessat; dominus eum propria

pria auctoritate expellere potest; per constitutionem vero Cathalonix non.

2. Quod emphyteuta annuatim pensionem solvat, nisi res periret tota, non autem si periret in parte; at tamen si res remanens ad solvendam pensionem non sufficeret, reduci deberet ad quantitatem.

3. Quod emphyteuta, antequam vendat emphyteusim, domino denuntiet.

4. Quod pactum inter dominum, & emphyteutam factum servetur.

5. Quod possessio naturalis emphyteutæ conceditur, nam dominium, & proprietas penes dominum remanent.

Emphyteusis habet sex capitula.

1. Contrahentes: 2. Res: 3. Donatio in emphyteusim: 4. Pensio: 5. Evictio: 6. Juramentum.

Res immobiles, quæ alienari possunt, possunt etiam in emphyteusim concedi.

Concedere possunt in emphyteusim omnes, qui possunt contrahere, & alienare.

Concedi potest omnibus, qui ad solvendam census pensionem possunt se obligare.

Emphyteusis scriptura interveniente contrahitur ad in perpetuum, & ad certum tempus, tam modicum, quam non modicum.

APPENDIX UNICA.

De Laudemio, Fathica, & Amortizatione.

LAUDEMIIUM est = Illa pars pretii, vel æstimationis rei, quæ ad aliam personam transfertur, domino directo debita, secundum regionis consuetudinem.

FATHICA est = Jus prælationis, seu retinendi rem feudalem, sive emphyteuticam alienatam.

AMORTIZATIO est = Directi, vel feudalis dominiū rei immobilis in manum mortuam translata, justa interveniente compensatione, legitime facta suspensio.

NOTA. = Cum in hac Civitate vigeant regulæ, residuo Principatu Cathalonix non communes, super laudemis; tractatum particulare efformare visum est, in quo non solum de laudemis, sed etiam de factica, & amortizatione, pro ut connexis, & omnia, quæ ad instructionem juvenum prodesse poterint, explanabuntur.

CA P. I.

DE PACTIS NUPTIALIBUS.

§. I.

De Donatione, & hæreditamento universale.

Licet donatio facta à patre filio in illius potestate constituto non sustineatur, valet tamen si fit favore, & contemplatione matrimonii.

Si donatio à patre filio fuit facta generice, favore, & ob causam matrimonii, potest filius patri retrodonare; si vero ob causam certi, & determinati matrimonii cum certa, & determinata persona, non potest retrodonare; & est Notario prohibitum talem retrodonationem recipere.

Nec filius potest consentire patri vendenti res donatas, nec filius potest eas vendere patri, huic tamen potest in testamento relinquere.

Dicta donatio propter matrimonium est conditionalis, si matrimonium sequatur, & si non sequatur revocatur donatio, tamquam cessante causa.

Verba illa, *pura, perfecta, simplici donatione*: In donatione facta in capitulis matrimonialibus non faciunt donationem esse simplicem, quando causa est expressa.

Illam verba, *obitu meo sequuto*, non faciunt esse donationem causa mortis.

Donatio prædicta per præmorientiam donatarii donatori non caducat, si post verba, *obitu meo sequuto*, adjicitur *nunc pro tunc*.

Si non adsunt verba *nunc pro tunc*, & est continuata clausula constituti, neque caducat.

Dictæ donationes à patre filiis non indigent insinuatione, sive sint factæ in capitulis matrimonialibus, sive non, dummodo sint contemplatione matrimonii.

Si dicta donatio fit à patre, nedum filio, sed etiam filiis ab eo procreandis, censentur ordine successivo vocati, ut pater dum vivit possideat bona, filii vero post ejus obitum, & tunc dicta vocatio filiorum est per fideicommissum, quod procedit per pactum inter donatorem, & donatarium, & hoc casu filii nascituri nihil habent à patre, sed ab avo.

In donatione facta in capitulis matrimonialibus à patre filio, & filiis suis nascituris, quia de istis fit mentio tantum simpliciter, solum intelliguntur filii primi, & non ulterioris matrimonii, nam de secunda uxore non fuit cogitatum.

Si vero dicta donatio fit filio, & filiis suis legitimis, & naturalibus, ex legitimo, & carnali matrimonio procreatis, comprehendit filios tam secundi, & ulterioris, quam primi matrimonii.

Si sit facta hæc donatio filio, & ejus descendantibus, comprehendit tam masculos, quam foeminas; sed si adjiciatur quod in descendentes vult conservare nomen, & arma, excluduntur foeminae.

Si fit dicta donatio filio, & istius primogenito ex matrimonio nascituro, non extante primi matrimonii, censetur vocatus primogenitus secundi matrimonii.

Pater gravatus in donatione filiis suis relinquere, unum ex eis eligendo satisfacit.

In dictis donationibus possunt apponi per donantem quæcumque pacta, & conditiones, dummodo apponantur in actu earundem, non autem post factas, nisi à principio tractatum fuisset de conditione, modo, vel pacto in illis adhibendis.

Si in dicta donatione reservatur usufructus, donator non tenetur pro eo cavere; quia reservatum non comprehenditur in donatione.

Dictæ donationes, ut jam aliàs dictum est, non valent sine reservatione ad testandum, quamquam sit reservatus usufructus, ex quo universalitas omnium bonorum comprehendit, tam præsentia, quam futura, ac etiam jura, & actiones.

Facultas testandi magis accedit ad jus naturale, quam ad successionem liberorum.

Quanta debet esse quantitas reservata ad testandum non est definitum, sed quod opus sit jam dictum est in §. IV. de Donatione, Cap. I.

Si donator reservat ad testandum quod sibi placuerit, sustinetur donatio; tamen testari debet arbitrio boni viri, non sicut subvertat totam donationem.

Reservatio simpliciter facta, sine expressione ad testandum, valet, cum reservata non comprehendantur in donatione, nec transeant in donatarium, sed manent penes donatorem, & ut bona sua possit libere disponere, tam inter vivos, quam in ultima voluntate.

Si fit reservatio ut de reservatis possit in vita, vel in morte disponere, valet; sed si fit cum facultate tan-

tum in vita disponendi, non potest de reservatis testari.

Si donator apposuerit clausulam: Quod si dece-
rit intestatus, reservatum comprehendatur in donatio-
ne, valet.

Reservatio facultatis alienandi bene compatitur cum
donatione, quo casu tantum censetur facta, alienatio-
ne non secuta, maxime si in reservatione adjiciatur
adverbium *liberè*.

Alienandi reservatio pro suis necessitatibus ad suum
beneplacitum, intelligitur ad arbitrium boni viri.

Si in donatione adjectum sit pactum: Quod si do-
natarius decedat cum liberis, illi succedant masculi, &
in eorum defectu foeminae Si non adest linea masculi-
na, vel adest, & finitur, & extat linea foemenina, mas-
culi hujus lineae praferuntur foeminis ejusdem lineae.

Si in donatione apponatur pactum: Quod donatarius
teneatur disponere in favorem filiorum suorum ex hoc
matrimonio procreandorum, vel alterius cujusvis per-
sonae sibi benevisae; tenetur filius donatarius filios suos
instituire, nam censetur facta substitutio fideicommis-
saria inter filios antea vocatos; & alternativa, *vel cui
voluerit*, tali casu nihil operatur.

Si in dicta donatione adjiciatur pactum: Quod filius
donatarius teneatur disponere in favorem filiorum suo-
rum ex matrimonio procreandorum, vel alterius cujus-
vis personae, vel personarum sibi benevisarum per par-
tes aequales, vel inaequales, cum pactis, & conditio-
nibus sibi benevisis, pro ut de re propria, non fit fi-
deicommissum favore neptum donatoris, ex quo verba
illa *pro ut de re propria* non important arbitrium regula-
tum, nec aliquo modo restrictum; sed tribuunt liberam
facultatem, in qua venit liberum arbitrium disponendi.

Si fit donatio cum pacto, & onere, quod filius donatarius non possit bona donata donare, nec alienare extra familiam, & personas de genere; ex tali pacto inducitur fideicommissum contraventionale, & non simplex, & absolutum in illa familia, & personis de genere.

Differentia inter fideicommissum simplex, seu absolutum, & fideicommissum contraventionale, est; quod illi non fit locus nisi post mortem gravati, huic vero statim facta contraventione, & vivente gravato admittuntur vocati; deinde quia in contraventionali est in voluntate gravati habere, vel non locum, in simplici vero, vel absoluto non.

Dicta prohibitio alienandi facta filio donatario, tantum hunc comprehendit, quia talis prohibitio non est realis, sed personalis.

Differentia inter prohibitionem realem, & personalem est: Quod illa extenditur de persona ad personam, tamquam onus reale, ista vero ad personam tantum restringitur, & non transmittitur ad aliam.

Pactum, quod si filius donatarius decedat sine liberis, bona donata deveniant ad donatorem, vel ejus hæredem, aut cui voluerit, est validum, & reddunt ad donantem, nedum quando donatarius decedat sine liberis, sed etiam quando eos habet, & isti decedunt sine filiis, vivente donatore.

Si pater concedit filio donatario, quod si sine liberis decedat possit de aliqua quantitate libere disporre, non tenetur filius patri legitimam relinquere.

§. II.

De Donatione causa dotis.

DOS est duplex = Alia spiritualis, quæ, aut datur
puellis

puellis pro ingressu Religionis, aut fit, vel datur pro
cujusvis piæ foundationis, seu causa dotationis.

Alia carnalis, de qua in parrafo sequenti agitur.

Donatio causa dotis est = Quæ fit puellæ intuitu ma-
trimonii.

Dicitur *puellæ*, nam regulariter fit propter primum
matrimonium, & locum non habet in secundo, quod
contrahit vidua, cum per primum jam sit dotata.

Hæc dos non potest esse sine matrimonio: Quia sem-
per inest tacita conditio: si matrimonium sequatur.

Quæ dos non debetur ante matrimonium, sed bene
potest antea taxari, licet solutio retardetur ad tempus
matrimonii.

Pater de necessitate tenetur dotem dare filiæ, vel
pro filia, & si renuit cogitur, nam onus paternum
est filias dotare, quod onus transit ad filios, & alios
hæredes patris, etiam extraneos.

Pater dotando filiam, dicitur voluisse suo munere,
seu officio satisfacere.

Pater tenetur dotare filiam emancipatam, necnon
naturalem, & spuriam.

Pater egenus, & debitis involutus, non tenetur do-
tare filiam.

Pater tenetur dotare filiam de bonis paternis, etiam
si sit debitor filiæ, vel ejus bonorum administrator.

Filia non dicitur dotata à patre, si illam dotat de
bonis maternis, vel propriis ipsius filiæ.

Si filia habet legatum dotis ab avo paterno, tunc pa-
ter, simpliciter dotando, censetur compensare cum legato.

Si pater, & mater se obligant simul, & insolidum
pro dote filiæ communis, mater censetur repetendi
animo marito, & intercedendi pro eo, nisi pater esset
inops, & mater dives.

Mater promittens dotem cum marito, censetur donare, si pater non est solvendo.

Pater, qui tenetur filiam dotare, si non habet bona libera, potest de bonis fideicommisso subjectis sumere, & alienare, si fideicommissum est ab avo, vel altero ascendentium; secus autem si est ab extraneo factum, & etiam si dicta bona essent prohibita alienari; sic etiam mater quando tenetur dotare.

Additamenta ad dotes, ut vestes, jocalia, expensæ nuptiarum, gaudent eodem privilegio quod dos; ita quod pro istis potest pater sumere de bonis fideicommissi.

Pater potest majorem dotem dari uni, quam alteri filiarum, nec debet ad æqualitatem reduci, nisi altera fuisset enormissime læsa, non respectu sororis, sed consanguinitatis, status, & qualitatis personarum.

Filiabus tamen secundi matrimonii non potest plus dos dari, quam filiabus primi, bene tamen ex causa pater potest dare majorem dotem filiabus secundi matrimonii, quam dedit filiabus primi.

Si dos datur insolutum legitimæ, debetur servari æqualitas.

Dos modica non dicitur, quæ excedit legitimam, sed dicitur congrua.

Quando dos solvitur pro legitima, vel succedit loco legitimæ, nullum gravamen, seu conditionem potest pater apponere, in reliquo vero, quod non est legitima, bene potest.

Dos profecta à patre non recipit gravamen, vel fideicommissum per pactum patris, quando non est ad eum reversura.

In bonis autem filix, vel adventitiis, pater non potest stipulari sibi reddi, neque substituere filix, etiam ultra legitimam.

Si pater dotat filiam naturalem, cum huic non debeat legitima, potest in totum gravare.

Mater semper tenetur dotare filiam naturalem tantum, potius quam legitimam, & naturalem simul; quia ista tantum dotare tenetur quando mater est dives, & pater inops, vel non solvendo.

Mater tenens bona defuncti viri pro suis juribus, & dotans filiam pro juribus sibi competentibus in bonis: tam paternis, quam maternis, videtur dotare de utriusque bonis.

Avus paternus tenetur dotare neptem, non vero maternus; cum filiam dotare sit officium paternum, & non maternum.

In concursu matris, & avi divitum, avus tenetur prius quam mater dotare neptem inopem, quia hoc officium non est maternum.

Frater tenetur dotare sororem, si ista est inops, & non habet parentes divites, qui id muneris suscipiant, vel si soror est pauper, & non habet unde se dotare, & etiam ad additamenta, ut vestes, jocalia, & similia.

Frater tenetur dotare sororem ex eodem patre simpliciter, pro qua dote potest de bonis fideicommissi sumere, & alienare.

Frater non tenetur dotare sororem ex parte matris tantum conjunctam, quia, ut dictum est, dotare filias non est officium maternum.

Tamen si frater est hæres matris, tenetur dotare de bonis maternis, eodem modo quo mater teneretur, nedum usque ad legitimam, sed etiam ultra si opus sit.

Filius hæres patris, & alius ad quem bona patris deveniant, tenetur filiam spuriam ipsius patris dotare, quia non possunt revocare onera quæ defuncto incumbabant.

Frater dotando sororem de quantitate à patre relicta, non licet fratri modum, conditionem, vel vinculum doti apponere; & sorori licebit de dote libere disponere, si nihil obstat iudicio patris.

Frater dotans sororem in plus quam tenetur, censetur donare.

Frater Clericus, si habet patrimonialia sua propria, tenetur sororem inopem dotare, & in defectu dictorum bonorum de fructibus beneficii, & etiam de redditibus ecclesiæ pro modo eleemosynæ.

In concursu matris divitis, & fratris, illa tenetur dotare filiam; tamen si frater est hæres patris, sicut in istius bonis succedit primarius, sic primus est, & esse debet in oneribus quæ patri incumbabant.

Frater, quando de suo dotat sororem, licet ei, sicut cuilibet extraneo, pacta quæ voluerit apponere dotationi.

Dicuntur extranei in materia dotationis omnes, qui non habent mulierem dotandam in potestate.

Quilibet extraneus dotando mulierem, nihil sibi expresse stipulando, videtur donare favore dotis, & non potest pœnitere ex intervallo.

Extraneus dotans mulierem, & non stipulans sibi dotem restitui soluto matrimonio, censetur dotare animo donandi, etiam si mulier sit absens; etiam si extraneus stipulatus fuerit sibi dotem, soluto matrimonio, restitui, censetur data mulieri, quia alias nullus esset favor dotis.

Tutor pro pupilla, & curator pro adulta tenentur dotem assignare pro dignitate natalium, & pro facultatibus, quia sunt loco patris, & pro dicta dote possunt vendere, & alienare bona ipsius pupillæ, & adultæ.

Minor adultus non potest dotare sororem in bonis stabilibus sine iudicis decreto, quia requiritur saltim causa cognita.

Nec potest facere augmentum dotis in bonis stabilibus sine iudicis decreto.

Res mobiles, & immobiles, extra pecuniam, etiam dantur in dotem, quandoque æstimate, quandoque inæstimate.

Æstimate dicuntur data in dotem, quando dantur prævia æstimatione ad certum pretium; inæstimate vero quando simpliciter, & absque alicujus æstimationis mentione dantur.

Duplex est æstimatio, alia tacita, alia expressa.

Tacita est à lege, absque aliquo contrahentium pacto, ut quando res data in dotem consistit in pondere, numero, vel mensura.

Expressa vero est, quando fit æstimatio ex partium conventionem, & pro illo pretio res æstimata datur.

Æstimatio expressa fit duplici de causa, & duplicem habet effectum.

1. Ut scire possit an res sit facta deterior, & id cedit periculo viri, qui tenetur in eadem qualitate, & bonitate reddere.

2. Ut faciat emptionem, & tunc desinit esse dotalis.

Dari possunt res mobiles, & immobiles quæ in contractu deduci possunt tam æstimate, quam inæstimate, nec non res litigiosæ, ususfructus, & alimenta.

In hac donatione tria requiruntur.

1. Voluntas donatoris: 2. Res donata: 3. Acceptatio donataria.

De Constitutione dotali.

Mulier habet bona in quadruplici genere, scilicet :
 Dotalia, paraphernalia, propria, seu libera, & extra dotalia.

DOTALIA BONA sunt: Dos quæ datur à muliere marito, vel ejus parti, propter onera matrimonii sustinenda, ut perpetuo sit penes eum.

EXPOSITIO.

Datur, non autem conceditur; nam maritus rei in dotem datæ verus dominus directe efficitur, oneribus matrimonii durantibus.

A muliere: Uxor namque marito dotem constituere debet.

Marito: Nam ei dos debet dari.

Vel ejus parti: Quia etiam mariti parti dos potest dari.

Propter onera matrimonii: Quia ususfructus dotis, habet tacitam conditionem, si onera matrimonii supportentur, unde non ratione dominii, sed onerum matrimonii ad maritum spectat.

Ut perpetuo sit penes eum: Idest tamdiu quamdiu matrimonii duraverint onera.

Hæc dos est triplex.

1. *Profectitia*, quæ à patre, vel avo paterno, vel alterius eorum bonis venit; & ut dicatur profectitia non requiritur quod filia sit in patria potestate.

2. *Adventitia*, quæ aliunde venit, etiam si sit contemplatione patris.

3. *Mixta*, quæ ex patre, & matre venit.

Horum bonorum maritus est dominus, pro ut in definitione dicitur, tamen non ita quod possit alienare,

re, & pro libito disponere; quia tantum deserviunt ad onera matrimonii sustinenda, & mulier de eis potest disponere pro ut sibi placuerit in ultima voluntate, & quandoque inter vivos.

Maritus, & uxor in dote se habent tamquam usufructuarius, & proprietaria, nam ista possidet civiliter, & ille naturaliter, ita maritus, & uxor in dote, quæ est patrimonium mulieris.

Maritus habet mandatum à lege, & sic dicitur Procurator uxoris in bonis dotalibus, & paraphernalibus.

Licet habeat mandatum à lege, etiam illud habet ab uxore ad exigendam dotem, non autem ad alienandum, quia requiritur speciale.

Pactum, quod maritus, quamvis sustineat onera matrimonii, non lucretur fructus dotis, seu in dotem convertat, non valet; neque pactum valet, quod maritus fructus dotis recipiens non sustineat onera matrimonii.

Quando constitutio dotalis fit patri, & filio, & iste cum uxore habitant simul cum patre sustinente onera matrimonii, patri datur actio ad exigendam dotem, & non filio; si autem habitant seorsum à patre, non huic, sed illi datur actio.

Si pater sustinens onera matrimonii paciscitur cum filio percipere fructus dotis, & de illis ad sui libitum disponere, censetur pater dotis fructus filio donasse.

Dos partim in pecunia, & partim in rebus tradita, seu constituta, bona non censentur tradita pro fundo dotali, licet nulla præcesserit æstimatio, cum præsumatur facta à lege pro pretio, quo tunc bona valent.

Si constitutus est usufructus alicujus rei stabilis in dotem, traditio translativa fit per jurium, & actionum cessionem.

Si in re constituta in dotem est annexum aliquod jus patronatus de jure laicali, præsentatio ad Beneficium vacans spectat ad maritum constante matrimonio, nam dicta præsentatio est fructus patronatus.

Si vero jus patronatus non est in re dotali, sed stat de per se, alioque nomine, mulieri spectat præsentatio, maritus ad nihil se intromittit.

Mulier tenutam, & jus faciendi fructus suos, potest secundo viro in dotem constitui.

Mulier secundo nubens potest eandem dotem constituere secundo viro, quam constituerat primo absque ulla solemnitate, soluta tamen legitima filiis primi matrimonii, si adsunt.

Bona paraphernalia dicuntur, quæ non sunt tradita in dotem marito, sed ei tradita in ipsius domum, de quibus maritus videtur habere custodiam, & in eis dicitur habere mandatum; & si marito tradita sunt in custodiam, dicitur habere administrationem, quod mandatum, & administrationem potest ad uxoris libitum revocari.

Si dos mulieris est in pecunia, alia bona præsumuntur paraphernalia.

In istis bonis mulier habet dominium, maritus vero administrationem suo periculo, pro quibus omnia bona mariti sunt tacite hypothecata, sicut pro dote.

Bona propria, & libera mulieris sunt, quæ ei obvennerunt jam nuptæ; ut hæreditas, vel si ei fit donatio, aut quid simile.

Extra dotalia sunt: Quæ nihil eorum fuit marito commissum, sed ea mulier secum habet, & per se administrat, ac ipsa sola incumbit.

Mulier plura habens bona, si nupserit sine dote, non censetur ea dedisse in dotem, & remanent penes mulierem.

Datur de voluntate illis, qui ad eam restituendam se obligare possunt, & cui maritus voluerit; de necessitate illis qui onera matrimonii habent sustinenda.

Constitui possunt in dotem omnes res, quæ causa dotis dari possunt.

Æstimatio rei datæ in dotem quatuor operatur.

1. Fundum facit esse emptitium, & dotalem desinit esse, duobus casibus exceptis, scilicet: *Primò*, quando fit æstimatio ad hoc, ut restitutionis tempore sciatur si majoris, aut minoris valoris sit fundus: *Secundò*, ad hoc ut soluto matrimonio rem, vel æstimationem, seu valorem petendi sit mulieris electio.

2. Matrimonio soluto æstimatio, seu valor est tradendus; non autem res restituenda, etiam in vita muliere.

3. Si res perit, mariti periculo perit.

4. Maritus absque uxoris consensu rem æstimatam vendere potest, non autem inæstimatam, nam fundus dotalis esset; tamen alienari potest si mulier jurat.

Augmentum dotis idem est quod dos, eodem modo definitur, constituitur, & contrahitur absque personarum, & rerum differentia.

Augmentum dotis dicitur post primam dotis constitutionem, non tamen antea.

In dotis augmento duo requiruntur.

1. Pecunia, vel res: 2. Causa ex qua procedit.

§. IV.

De Donatione propter nuptias, seu sponsalitia.

DONATIO PROPTER NUPTIAS est = Illa quæ fit uxori, si virgo sit, in contractu matrimonii per maritum, vel alium pro eo, correlative ad dotem, & efficitur uxoris.

Fit

Fit uxori: Quia alteri non fit.

Si virgo sit: Nam non fit viduæ.

In contractu matrimonii: Quia fit ejus contemplatione.

Per maritum, vel alium pro eo: Quia fieri debet per eos, quibus dos constituitur.

Correlative ad dotem: Quia olim fiebat æqualis doti, sed hodie fit ex partium conventionione; sicque dicitur debitum conventionale.

Efficitur uxoris: Quia uxor, vita sua naturali durante, domina est rei datæ propter nuptias.

Quia non fit viduis hæc donatio, ipsius loco donationem ad instar augmenti dotis fieri potest per maritum.

Donare possunt propter nuptias omnes, qui possunt contrahere, & de rebus suis alienare, & è contra qui contrahere, nec alienare possunt, neque propter nuptias donare.

Fallit in illo qui habet bona fideicommisso subjecta, qui potest propter nuptias donare.

Fallit etiam in filio familias, qui licet contrahere, nec alienare possit, in capitulis matrimonialibus potest propter nuptias donare.

Donatio propter nuptias potest fieri in omnibus rebus super quibus contrahi potest.

De substantia donationis propter nuptias sunt: Matrimonium: Et res donata.

De natura vero sunt quinque.

1. Quod maritus det uxori quantundem accepit, & non plus, nec minus, aliàs non valeret.

Hoc intelligendum est de antiqua donatione, quæ ex necessitate legis fiebat, hodie vero fit secundum partium conventionem.

2. Quod soluto matrimonio spirat, & sicut dos restituenda

tituenda venit ; hodie tamen fallit, quia mulier cum, vel sine marito, cum, vel sine filiis fruitur sponsalitia.

3. Quod rei propter nuptias datæ fructus omnes, redditus, & proventus maritus habet.

4. Quod de re data directe dominium uxor acquirit.

5. Quod res data, etiam uxore consentiente, alienari non potest.

APPENDIX I.

De Hypotheca Dotis.

Uxor habet bona mariti obligata ex tacita hypotheca, eo ipso quod dotem constituit, maxime si est confessa, quamquam non sit tradita.

Hanc tacitam hypothecam habet etiam mulier in bonis dotem promittentis, ac etiam fidejussorum, ubi intervenire possunt.

Maritus etiam habet tacitam hypothecam in bonis ejus, qui dotem promisit, pro exactione dictæ dotis, sed non ita privilegiata, sicut ea quæ competit uxori.

Differunt, quia ea, quæ competit mulieri, est cum præferentia, marito vero non, quia isti, si velit, consultum est per fidejussores, quos potest recipere pro dote sibi solvenda, quod non potest uxor, quæ nequit habere, nec recipere fidejussores pro dote restituenda.

Bona cujuscumque tertii dotem recipientis sunt tacite hypothecata pro ea conservanda, & restituenda.

Si constitutio dotalis facta fuerit socio, & iste firmaverit sponsalitia, ejus bona sunt hypothecata pro dotis restitutione, & sponsalitia solutione.

Potest conveniri in capitulis matrimonialibus, quod aliqua tantum bona sint hypothecata pro securitate, &

restitu-

restitutione dotis, & tunc mulier in eis, & non in aliis bonis habet hypothecam.

Pactum inter virum, & uxorem, quod bona mariti non sint obligata pro dotis conservatione, & restitutione non potest fieri.

Mulier etiam habet tacitam hypothecam à jure inductam in bonis minorum dotem recipientium, & in domum conducentium.

Licet bona paraphernalia non habeant privilegia dotis, tamen pro illis competit mulieri tacita hypotheca, sicut pro dote, etiamsi in instrumento non constet, quod pervenerint in manus mariti.

A P P E N D I X II.

De Thenuta.

Vidua est vicedomina, & vice hæreditrix in bonis mariti, quæ post istius mortem possidet pro sua dote.

Mortuo viro vidua possidet ministerio juris, absque aliqua apprehensione possessionis, bona viri defuncti, quæ fructus suos facit donec, & quousque in dote, & sponsalitia sit satisfacta, si tamen fecit inventarium infra mensem à die mortis viri, seu illud incipiat, & perficiat intra alium mensem, aliàs omnia perdit.

Si per virum certa loca, aut redditus, vel alia bona, unde annuos redditus, vel proventus pervenire possunt, pro dotis, & sponsalitiæ securitate fuerint assignata, hoc casu ipsa tantum bona, loca, seu redditus possidere censetur, & tunc non tenetur inventarium conficere.

Vidua implet constitutioni, & ejus gaudet privilegio conficiendo inventarium coram Notario, & testibus, absque legatariorum, & creditorum citatione.

Licet bona vinculata non sint bona mariti, tamen in eis vidua habet thenutam, & fructus dictorum Bonorum facit suos.

Si in hæreditate vinculata adest jus præsentandi Beneficia vacantia, spectat ad viduam thenutariam illorum bonorum.

Privilegium thenuta, vigore constitutionis, transit in hæredes filios, non vero extraneos, nec in cessionarios mulieris.

Mulier non amittit thenutam, seu privilegium constitutionis per transitum ad secunda vota.

Mulier hæres instituta à viro, recipiendo istius hæreditatem ut hæres, sibi perjudicat in thenuta.

Si autem est gravata de restituenda hæreditate post mortem, tunc ipsius hypotheca numquam extinguitur, quia revocabiliter est ei dominium.

A P P E N D I X III.

De restitutione Dotis.

Obligatio restituendi dotem incipit à die soluti matrimonii, & tunc oritur actio ad illam recuperandam.

Mulier pro restitutione dotis suæ potest retinere omnia bona defuncti mariti, tam mobilia, quam immobilia, & supellectilia.

Dos consistens in pecunia, seu mobilibus, & se moventibus, vel in pondere, numero, vel mensura, debet restitui infra annum à die soluti matrimonii.

Mulier ante annum non potest petere, ut sibi restituatur dos post annum, quia jus de futuro non potest in iudicium deduci.

Si dos consistens in pecunia conversa sit in aliquo corpore hæreditario, quod fieri potest, quando mulieri

lieri utile est, tunc statim soluto matrimonio restitui debet.

Si dos constituta sit in pecunia, & postea soluta in aliquo corpore immobili, seu hæreditario, soluto matrimonio statim restitui debet.

Mulier constante matrimonio potest dotem suam recuperare, maritus ad inopiam vergens.

Etiã constante matrimonio potest dotem recuperare, quando maritus est perpetuo bannitus, & bona ejus publicantur.

Quando ususfructus, seu jus fruendi, & faciendi fructus suos traditus est in dotem, in casu restitutionis fructus non sunt restituendi; quia non sunt traditi in dotem, sed tantum est restituendum jus percipiendi fructus.

Alimenta, quæ socer in capitulis matrimonialibus promisit genero, & filia per certum tempus, judicantur ut dos, & in restitutione venit illorum valor.

Quando bona traduntur inæstimatè, sunt ipsa bona restituenda; si vero tradita sunt æstimatè, ut sit mulieri electio rem, vel æstimationem petere, tunc debet restitui secundum mulieris electionem.

Fundus traditus simpliciter æstimatus, dicitur venditus marito, & in casu restitutionis æstimationem, & non fundum restituere debet.

Si maritus promittit dotem restituere soluto matrimonio, quamquam nihil dicatur de æstimatione, nihilominus tunc censetur facta æstimatione, ea quæ facit emptionem, quia verba illa intelliguntur de verâ dote; vera autem dos est in pecunia, & sic pecunia, & non fundus venit restituenda.

Æstimatio non facit emptionem, si adjiciatur pactum quod res restituatur in eadem æstimatione; vel

si pactum fit, quod dos habeat reddi in eisdem rebus, & sub eadem æstimatione, & tunc res venit restituenda.

Vestes lugubres, & funerales debentur viduæ in bonis mariti, & sunt faciendæ, licet à domo defuncti, seu ejus hæredum recedat.

Et si vidua sibimetipsi de suo vestes fecerit, id quod in eis impendit ab hæredibus mariti repetere potest.

APPENDIX IV.

De solutione Sponsaliti.

Sponsalitium lucratur uxor supervivens marito, si non sunt liberi ex matrimonio, quorum favore regulariter stipulatur.

Vidua potest habere totum, vel acquirere partem sponsaliti.

Vidua, si vult, potest gaudere toto sponsalitio, vita sua naturali durante, quo casu tenetur cavere de restituendo, cui fienda sit restitutio; & si istud elegerit, etiam contradicentibus hæredibus viri, nihil habet in proprietate.

Etiam potest vidua, si vult, habere mediam partem sponsaliti, & de ea disponere, quo casu non tenetur cavere.

Si vidua, vita sua durante, non fecerit electionem de medietate sponsaliti ad suas voluntates utendo, ejus hæredes illam facere non possunt.

Si supersunt filii ex illo matrimonio, vidua non potest eligere medietatem, & nihil lucrari debet, quamvis illam elegerit.

Mulier secundo nubens, intra, vel post annum, non perdit usufructum sponsaliti, cum in carta dotali dicatur, quod illud habeat cum, vel sine marito.

Mater, transiens ad secunda vōta, tenetur proprietatem sponsalitiū ex primo matrimonio conservare, & cavere cum fidejussoribus.

A P P E N D I X V.

De renuntiatione jurium facta à filia dotata.

Licet filia, dote recepta, renuntiet bonis paternis, & maternis, nihilominus potest petere sibi relicta à patre, vel matre in testamento.

Pactum per quod filia, dote recepta, renuntiat hæreditati paternæ, non valet; si est juramento firmatum valet, & est servandum.

Pactum renuntiationis de futura successione universali valet, si est firmatum in contractu matrimonii.

Filia quæ renuntiavit juribus legitimæ, & successioni paternæ, & maternæ, nihil recipiendo ex bonis maternis, est ipso jure nulla, & nihil operatur, quamvis dicatur dotari, tam de paternis, quam maternis bonis.

Renuntiatio facta à filia, dote contenta, omni, & cuicumque juri sibi spectanti, aut spectare potenti in bonis, & hæreditate patris quavis ratione, seu causa, non censetur renuntiare juribus dotis maternæ, in dictis bonis, & hæreditate inclusæ.

Renuntiatio hæreditatis paternæ, & maternæ facta cum juramento per filiam dotatam valet, licet dos ascendat, vel non, ad legitimas portiones, dummodo sit congrua.

Dicta renuntiatio operatur, quod si filia est præterita, non potest dici testamentum nullum.

Renuntiatio facta per unicam filiam doti maternæ in favorem patris dotantis valet.

Renuntiatio facta per filiam patri de futura successione matris. Item de successione matris jam delata. Item de successione paternæ, & maternæ facta patruo, etiam cum decreto judicis, & juramento, non valet, quando filia est minor viginti quinque annorum.

Filia, legatum factum ab avo cum nupserit, non potest renuntiare dictum legatum in favorem patris, etiam cum consensu mariti, & soceris, licet juraverit.

A P P E N D I X VI.

De nonnullis pactibus, quæ in capitulis matrimonialibus fieri possunt.

Hæreditamenta, alia sunt præcisa, & necessaria, sive pura, nullum respectum dicentia ad aliud matrimonium, seu ad filios alterius matrimonii, ut quando simpliciter dicitur: *Quod filii ex hoc matrimonio procreandi sint hæredes.*

Alia vero conditionalia, respectum habentia ad filios alterius matrimonii: Hæc duobus contingunt modis fieri.

Primo, ponendo in hæreditamento, & substantia illius, ac in corpore ipsius hæreditamenti: *Quod in concursu filiorum hujus, vel alterius matrimonii, sint hæredes, qui processuri sunt ex isto, vel quod præferantur filii istius matrimonii filiis alterius cujuscumque matrimonii:* vel quando non sit dictum expresse, colligitur ex verborum quibus usi fuerint contrahentes, *ut filii pro filiis, & filia pro filiabus.*

Secundo modo, quando non in substantia hæreditamenti, sed quasi in exequutione post hæreditamentum, quando aliàs sine eis foret purum, præcisum, & absolutum, ut quando *filii ex hoc matrimonio pro-*
creandi

creandi sint hæredes, addendo post hoc: Filii pro filiis, & filia pro filiabus.

Hæreditamenta simpliciter facta in capitulis matrimonialibus, scilicet: *Filii pro filiis, & filia pro filiabus* non important, nec inducunt præcisam, & necessariam filiorum vocationem, sed solum reservationem successionis legalis.

Effectus hæreditamenti conditionalis, seu prælativi est, quod per eum nihil datur, seu promittitur quam præfatam prælationem, & sic dictum hæreditamentum non censetur factum per viam vocationis præcise, sed tantum per viam reservationis prælative ad filios alterius matrimonii, nihil prohibet parentibus alienare de dictis bonis, cum prælatio remaneat salva in bonis quæ parentibus supererint tempore mortis suæ.

Effectus hæreditamenti puri, præcisi, & simplicis est, quod inducit vocationem, qua obstante nihil possunt parentes alienare; licet aliqui contrarium teneant.

Pactum de succedendo inter virum, & uxorem valet.

Pactum, quod supervivens lucretur aliquid de bonis conjugis præmorientis, valet propter reciprocam æqualitatem pacti; nam incertitudo, & æqualitas faciunt contractum licitum.

Pactum de lucranda dote, quando est ex conventionne reciproca, valet, & maritus in præjudicium filiorum deducit lucrum tamquam æs alienum; tamen dictum lucrum dotis non facit maritus, neque uxor suum, si extant filii ex illo matrimonio.

Dictum lucrum superviventis lucretur mulier in proprietate, si non adsunt liberi ex matrimonio, & si adsunt, & mulier transit ad secunda vota, & habet filios ex secundo matrimonio, solum habet usufructum de vita, reservata filiis proprietate, tamquam lu-

cri provenientis ex primo matrimonio, quamquam pactum fuerit quod haberet lucrum ad suas voluntates, quia non potest præjudicare filiis, quibus jura dederunt illam proprietatem.

Pactum de succedendo super re particulari valet.

Pactum factum inter conjuges de lucranda certa portione dotis, etiam si illa, vel major pars sit vinculata, valet.

Quando fit à conjugibus ex pacto, est voluntarium, & non operatur quod contra prohibitionem factam à lege, quæ non disponat in præjudicium filiorum possit lucrari.

Lucrum dotis stipulatum favore mariti in capitulis matrimoniabus non revocatur per superventiam liberorum, quia lex hoc prohibens solum est in titulis lucrativis, & dictum pactum non potest dici ex causa lucrativa, sed onerosa, uti factum in compensationem onerum matrimonii; tamen licet sibi debeatur filiis, est reservata quærela inofficiosi.

Si dictum pactum fit ab uxore se dotante valet in vim donationis causæ mortis, quæ revocari potest, & mulier testando de dote revocare censetur.

Si tale pactum luci fit ab extraneo dotante, si dotat de bonis mulieris, quod præsumitur, si est illius administrator, tunc valet causa mortis, prout si mulier fecisset pactum; si vero dotavit de suo proprio pactum tenetur inter vivos.

Si maritus fecerit donationem pro augmento dotis uxori, quæ vocatur antidos, pro tanta summa, quia tunc pactum inest à facto, ipse debet lucrari mortua uxore propter æqualitatem.

Si pactum fit favore mariti, & ejus hæredum, ut quocumque modo solvatur matrimonium, dos remaneat.

neat semper penes maritum, seu ejus hæredes, quia istud pactum non comprehendit casum in quo solvatur matrimonium per mortem mariti, etiamsi esset juratum, & factum à muliere, vel alio quocumque dante, non valet, nisi esset præcisum, quo casu valeret.

Pactum lucri dotis, si mulier desponsata moritur ante duodecim annorum non valet; quia cum non possit esse matrimonium, ita neque dos, cum hæc sine matrimonio esse non possit.

Maritus paciscens de lucranda dimidia dote, videtur renuntiare statuto deferente totam dotem, & tenetur pro rata lucri concurrere ad expensas funeris uxoris defunctæ.

Maritus, qui post pactum lucri dotis consentit uxori facultatem testandi de dote, sibi imputari debet, & non potest revocare; nam uxor sine licentia non potest testari in præjudicium lucri marito obventuri post ipsius uxoris mortem.

Maritus paciscens restituere integram dotem soluto matrimonio, nihil potest retinere; quia censetur renuntiare lucro dotali.

Si maritus promiserit dotem, & illius augmentum restituere in omnem casum, tam ipsi mulieri, quam ejus hæredibus, amittit augmentum, quod acquiritur uxori, & transmittitur ad suos hæredes, illo vivente.

Pactum quod maritus qui intravit in domum uxoris cum axovaria, ista mortua, vir non possit expelli à domo, nisi prius axovario sibi soluto, & interim retineat hæreditatem uxoris, & suos faciat fructus sine obligatione compensandi in sortem, non valet, licet contrarium sit in uxore vigore constitutionis.

Dictum pactum lucri dotis, si fit pro filiis in eventum mortis matris, valet, & operatur quod filii debent

bent habere dotem ex pacto, non autem tamquam hæredes, & tunc non requiritur aditio, vel transmissio hæreditario jure.

Valet hujusmodi pactum, tam super dote, quam super donatione propter nuptias, quia paria judicantur.

Operatur dictum pactum, quod mulier non potest testari de dote, quando est factum ut filii lucrentur eam.

Valet dictum pactum, etiam non æquale, tam super lucro dotis, quam donatione propter nuptias, quando adest juramentum.

Si fit pactum de restituendo dotem, filiis non extantibus, tunc tale pactum operatur à contrario sensu, quod filiis extantibus potest dos filiis retineri vi pacti taciti.

Tale pactum inest ex consuetudine scripta; quia licet nihil sit dictum de liberis, sed facta promissione dotis restitutionis in omnem casum, & eventum, non comprehendit casum existentiae liberorum.

Pactum lucri dotis factum à muliere secundo nubente, habente filios ex primo matrimonio, si ex dicto pacto secundus maritus habet plusquam filii primi matrimonii, non valet.

Neque quando mater secundo nubens, habens filios primi matrimonii, valet pactum, quod filii secundi matrimonii habeant totam dotem, quia est in præjudicium filiorum primi matrimonii.

Attamen si mater, vel extraneus non obligati dotare, dotarent viduam secundo nubentem, habentem filios primi matrimonii, & vellent apponere pactum, quod in ipsa dote succedant filii secundi matrimonii, valebit pactum, quia quilibet rei suæ potest apponere conditionem quam velit.

Si fuit legata à marito uxori secundo nubenti, non valet pactum lucri dotis, quia mortua uxore debet ad filios primi matrimonii libera reverti.

s. V.

De Sponsalitia largitate.

SPONSALITIA LARGITAS est = Donatio quæ fit inter sponso, contemplatione futuri matrimonii.

Fit hæc sponsalitia largitas de rebus mobilibus, quæ alienari, & in contractu deduci possunt.

Virtus ejus, & effectus est: Quod qui donum accipit dominus doni efficitur, & non venit restituendum soluto matrimonio.

Virtus est etiam, & effectus: Quod quamvis matrimonium non adimpleatur, valet hæc largitas, nisi per accipientem staret; nam si matrimonium non fuerit celebratum, is, per quem largitas tradita fuit, non repetit; immo promissum exsolvit.

Si vero morte sponsæ matrimonium non perfici contingat, & sponso ei donavit, ac signum aliquod sponsalitorum, aut osculum intervenit, dimidium largitatis ad sponsum reddit, reliquum sponsæ hæredibus applicatur; sed si osculum non intervenit, in totum largitas revocatur.

Si autem sponsa sponso donavit, sive osculum intervenit, sive non, omnino largitas revocatur.

s. VI.

De Sponsalibus.

SPONSALIA sunt = Futurarum nuptiarum reprobatio.

EXPOSITIO.

Futurarum nuptiarum : Quia sponsalia fiunt per verba de futuro.

Repromissio : Quia iterationes fieri debent, ita ut sponsus dicat sponsæ : Accipiam te in uxorem meam, & è converso sponsa sponso : Accipiam in maritum meum.

Sponsalia in tres partes dividuntur.

1. *Conventio unius* : 2. *Conventio alterius* : 3. *Clau-sula generalis*.

Quatuor modis sponsalia contrahuntur.

1. *Promissione* : 2. *Juramento* : 3. *Fidei datione* : 4. *Annuli traditione*.

Contrahuntur sponsalia inter majores infantia, eorum parentes, tutores pro pupillis, curatores pro adultis, puberes, majores, & inter extraneos, non autem inter infantes, & furiosos.

Sex modis sponsalia dissolvuntur.

1. *Per contrarium consensum*.
2. *Quando majus vinculum supervenit, ut religionem ingressus, vel per verba de presenti matrimonii contractus.*
3. *Alterius sponsorum morte.*
4. *Si alter sponsorum ad aliam provinciam translatus, longo tempore spectatus non redierit.*
5. *Si unus eorum ad gravem infirmitatem devenerit.*
6. *Si unus eorum in hæresis causam accusatus fuerit.*

Sciendum est : Quod si ambo sunt impuberes, possunt cum ad pubertatem devenerint dissentire, & etiam unus alio nolente.

Si ambo sunt puberes, de communi consensu dissentire possunt, non autem unus alio invito.

Si autem unus pubes, aut major, & alius impubes,

bes, potest hic dissentire, non autem ille, invito impubere.

Pœna in sponsaliis inter sponsos, nec eorum parentes apposita non valet; nam sponsalia, & matrimonium libera debent esse, ne metu pœnæ contrahi præsumatur, secus in arrhis in sponsalibus datis, nam pœna arrharum inter quascumque personas apposita valet; si autem pœna in sponsalibus inter fratres, aut alias personas est apposita, bene valet.

s. VII.

De Matrimonio.

MATRIMONIUM UT SACRAMENTUM est = Novæ Legis institutum à Christo Domino, causativum gratiæ unitivæ.

MATRIMONIUM UT CONTRACTUS est = Viri, & mulieris conjunctio, individuum vitæ consuetudinem continens.

EXPOSITIO.

Viri, & mulieris: Nam unus solus vir, & una sola mulier in matrimonii contractu esse non possunt, sed ambo esse debent.

Conjunctio: Animorum scilicet, non autem corporum.

Individuam vitæ consuetudinem: Quia amborum intentio de numquam dissolvendo matrimonio debet esse. Matrimonium sine dote, & scriptura esse potest.

Cætera de matrimonio, quia non nostro Notariatus officio attinent, omittuntur.

C A P. III.

DE CONTRACTIBUS DEBITI ET CREDITI.

§. I.

De Mutuo.

MUTUUM est = Rei nostræ in pondere, numero, mensurave consistentis, alteri datio, ut idem genus nobis reddat.

EXPOSITIO.

Rei nostræ: Non autem alienæ, quia mutans dominus, vel quasi rei mutuatæ debet esse.

Pondere, numero, mensurave: Quia mutuum consistit in rebus, quæ ponderantur, ut aurum; numerantur, ut pecunia, & mensurantur, ut triticum.

Alteri datio: Quia rei mutuatæ dominium in accipientem transfertur.

Idem genus: Nam non eadem res mutuata, sed similis in genere, qualitate, & quantitate restitui debet.

Mutuum est triplex.

1. Naturale tantum: In quo ponderatio, numeratio, seu mensuratio interveniunt sine litterarum obligatione.

2. Civile tantum: In quo sola stipulatio reddendi intervenit.

3. Naturale, & civile simul: In quo unum, & aliud intervenit.

In mutuo tria considerantur.

1. Natura rei mutuata: Scilicet secundum ejus materiam; nam si est aurum ponderatio, si pecunia numeratio, si triticum mensuratio.

2. Consuetudo: Nam res mutuari possunt, quæ mutuari consueverunt.

3. *Aptitudo* : Idest quod res sit habilis ad mutuandum.

In restitutione mutui duo considerantur.

1. *Qualitas*, seu *genus*, ut res rei mutuatae similis, &que bona restituatur.

2. *Quantitas*, ut eadem quantitas numero, pondere, seu *mensura* recepta restituatur.

Mutuuum deficit ratione.

1. *Rei* : 2. *Personae* mutuantis : 3. *Dissensus*.

De essentia mutui sunt tres.

1. Quod tempore contractus agatur ut non in specie, sed in genere reddatur.

2. Quod rei mutuatae dominium in accipientem transferatur.

3. Quod de rebus mobilibus in numero, pondere, seu *mensura* consistentibus fiat.

Mutuuum quinque capitula continet.

1. *Confessio* : 2. *Promissio* : 3. *Expensarum* refectio :

4. *Bonorum obligatio* : 5. *Beneficiorum renuntiatio*.

Mutuari possunt, qui à lege contrahere non prohibentur, & potest illis, quibus contrahere licet, & ad mutuum restituendum obligari possunt.

Usura est : Illud lucrum quod propter mutuuum expectatione, ultra sortem, percipitur.

Interesse est : Lucrum à jure permissum.

Interesse est triplex.

1. *Conventum*, quod venit ex partium conventionione.

2. *Commune*, quod venit ex commune habita aestimatione.

3. *Singulare*, quod penes unum, & non penes alium venit.

Interesse datur pro lucro cessante, aut damno emergenti compensandis.

De Commodato.

COMMODATUM est = Alicujus rei ad aliquem specialem usum gratuita facta concessio, ea lege, ut eadem res reddatur.

EXPOSITIO.

Alicujus rei: Idest mobilis, aut immobilis quæ usu non perit; nam in rebus quæ usu pereunt, ut vinum, frumentum, &c. commodatum esse non potest.

Ad aliquem specialem usum: Debet enim specificari usus, ad quem res commodatur.

Gratuita: Quia gratis fit commodatum; aliàs si pecunia daretur, esset locatio; si vero alia res, contractus innominatus esset.

Concessio: Non autem translatio; commodans enim rei commodatæ dominium, & possessionem retinet.

Ut eadem res reddatur: Ad mutui differentiam, in quo non eadem res, sed idem genus redditur.

Ex præhabita definitione quatuor colliguntur.

1. Quod debet usus specificari.
2. Quod gratis fieri debet.
3. Quod nisi finito usu revocari non potest.
4. Quod commodatarius non habet nisi nudum usum.

Commodare possunt, qui aliàs possunt contrahere, & etiam minor cum sola tutoris auctoritate; nam commodatum non est alienatio.

Illis commodari potest, qui ad commodatum restituendum possunt se obligare.

Commodari possunt omnes res quæ alienari possunt, sive sint mobiles, sive immobiles, dummodo usu non pereant, & etiam commodari possunt prædium mino-

ris, fundus dotalis, res litigiosa, res sacra mobilis, &c. & etiam res incorporales.

Commodatum rei interventu, gratis, & cum, vel sine scriptura contrahitur.

In commodato requiritur tempus.

Tempus est duplex.

1. Tacitum, ut commodo tibi ancillam ad unam texendam telam.

2. Expressum, ut hinc ad sex menses.

Commodatum habet quinque capitula.

1. Confessio: 2. Promissio: 3. Damnorum resectio: 4. Bonorum obligatio: 5. Jurium renuntiatio.

De substantia commodati sunt duo.

1. Usus determinatus: 2. Res concessa.

Mutuum, & commodatum in quatuor differunt.

1. Quia mutuum fit tantum de rebus mobilibus; commodatum vero de mobilibus, se moventibus, immobilibus, ac incorporalibus.

2. Rei mutuatae dominium penitus in accipientem transfertur, non autem rei commodatae.

3. In mutuo res similis, in commodato eadem restituitur.

4. Mutui periculum in accipientem attinet, commodati vero ad dominum, nisi dolo, vel culpa lata commodatarii res perierit, & aliquando etiam levi, & levissima culpa.

Commodatarius rem non deterioratam commodatori restituere debet.

Lata culpa est = Facere quod nemo faceret, vel non facere quod quilibet diligens faceret.

Levis culpa est = Quae ex negligentia, vel desidia provenit.

Levissima culpa est = Non facere quod sapientissimus faceret.

Casus fortuitus est = Qui aliquo modo provideri non potest, de quo non tenetur.

s. III.

De Precario.

PRECARIUM est = Quod precibus petenti utendum tamdiu, quamdiu is, qui concedit, patitur.

Precarium est duplex.

1. Proprietatis : 2. Possessionis.

Precarium proprietatis aliud est, quando fit, ut deprecans re utatur, veluti quando rem deprecanti conceditur, ut ea utatur, & fit de juribus incorporalibus competentibus, tam urbanis, quam rusticis, servitutibus, & finitur morte: aliud vero, est illa nova laudatio, sive renovatio concessionis, quæ fit à domino emphyteutæ de re feudali, vel emphyteutica ob titulorum defectu.

Precarium possessionis est = Quando res obligata creditori, ab ipso, debitori ad utendum conceditur.

Fit possessionis in pignoribus, & hypothecis, in quibus debitor nomine creditoris se possidere constituit, & revocatur contraria voluntate, extinguitur vero debiti solutione.

Operatur enim hoc precarium possessionis, quod contra quemcumque rerum debitoris possessorem creditor agere potest.

Operatur etiam quod à concedente cum fuerit revocatum, pignoris, aut bonorum sibi obligatorum, possessionem propria auctoritate ipse concedens apprehendere potest, & cum id fit, carta precaria revocari dicitur.

Precarium possessionis concedere possunt (ut ex ejus expli-

explicatione patet) omnes qui obligationem hypothecariam, vel pignoratitiam habent pro debiti securitate.

Conceditur eis, qui rogant creditores possessionem hypothecæ, seu pignoris sibi concedere.

Concedi possunt res mobiles, & immobiles, quæ in contractu deduci possunt.

Hoc precarium possessionis differt à commodato; quia commodatum ad certum, & determinatum usum, & tempus conceditur, & nulla possessio in commodatarium transfertur; precarium vero ad incertum tempus, & indeterminatum usum, & possessio naturalis in accipientem transit.

§. IV.

De Deposito.

DEPOSITUM est = Quod alicui, custodiæ causa, traditum est.

Depositum est triplex.

1. Judiciale: 2. Impeditivum usurarum: 3. Privatum.

Judiciale est = Quod fit in judicio, & proprie est sequestrium.

Impeditivum usurarum est = Quando à debitore debitum creditori offertur, quod ipse creditor non vult, vel non potest recipere.

Effectus hujus depositi est = Quod debitor liberatur; sed ut liberetur tria regulariter sunt necessaria.

1. Quod prius debitor debitum creditori offerat, nisi contrarium conventum sit.

2. Quod debitum deponat.

3. Quod rem depositam consignet integram; ita quod absolute penes depositarium remaneat, & creditori intimetur.

Privatum est = Quod fit privata partium auctoritate, ut quando apud privatum aliquem, de cuius fide, & diligenti cura deponens confidit, res aliqua deponitur, ut eam rite custodiat.

Dominium, & possessio hujus rei depositæ penes deponentem remanet, & quodcumque revocari potest, & fit tantum de rebus mobilibus.

Deponere possunt omnes sensum, & intellectum habentes, sive majores sint, sive minores, cum deponere non sit alienare; sed rem suam custodiendam mandare.

Depositum fieri potest penes illos, qui ad ipsum restituendum obligare se possunt.

Duo sunt de substantia depositi.

1. Rei traditio : 2. Acceptatio.

Quatuor modis depositum solvitur.

1. Restitutione : 2. Rei interitu absque depositarii culpa : 3. Domini acquisitione : 4. Revocatione.

Terminus in deposito appositus non valet.

Depositarius re deposita uti non potest, nisi cum deponentis consensu, aliàs furtum committere censetur.

Depositarius tenetur de dolo, & lata culpa, non autem de levi, & levissima, nec aliquando de casibus fortuitis.

Restitui debet depositum privatum illis per quos fuit factum, vel eorum hæredibus, seu successoribus.

In deposito impeditivo usurarum non potest Notarius soltam tollere, nisi pro resimertio faciendo, & cum decreto judicis competenti, in quibus opus sit.

De Delegatione.

DELEGATIO PROPRIE est = Quando debitor unius delegat debitorem suum creditori suo.

Delegare est vice sua alium reum dare creditori, vel cui jusserit creditor.

Delegare possunt, qui aliàs possunt contrahere, & alienare.

Et delegari possunt tantum credita pecuniaria.

In delegatione requiruntur.

1. Mandatum delegantis.
2. Quod is, qui delegatur, sit debitor delegantis.
3. Voluntas, & consensus delegati.
4. Quod debitor promittat debitum creditori per stipulationem nomine delegantis, & deficiente uno ex prædictis requisitis, potius novatio, quam delegatio dici debet, & omnibus intervenientibus extinguitur hypotheca.

Licet novatio non inducatur, nisi expresse dicatur, neque fiat ex interventu novæ personæ, nisi expresse id actum sit.

Limitatur in delegatione, quando delegans delegat creditum creditori suo acceptanti, ex quo sequitur liberatio delegantis.

Et sic delegatio per interventum novæ personæ, quæ sit debitor delegantis, liberat debitorem, quando creditor illam acceptavit, & debitori finem fecit, & tunc tollitur omnis obligatio, tam principalis, quam fidejussoria.

Quando non habet vim solutionis, non liberat debitorem delegatum à creditore delegante.

Delegatio non semper liberat debitorem delegantem,

ut

ut quando non fuit quæsitæ obligatio ei, cui facta fuit, vel si periculo delegantis fuit acceptata, vel stante protestatione, quod delegans non censetur liberatus ante solutionem.

Delegatio est duplex.

1. **Voluntaria**, quæ fit per stipulationem, ut quando debitor debitorem suum creditori suo delegat, consentiente delegato, & per stipulationem promittente creditori creditoris sui satisfacere.

2. **Necessaria** fit duobus modis, uno scilicet cessione, ut quando creditor cedit alteri jura sua, quæ habet contra debitorem, quæ fit per consignationem, alio vero fit per litis cessionem quæ nostri non est muneris.

Effectus delegationis voluntariæ est: Quod unam obligationem inducit, & parit duas liberationes; scilicet debitor delegans à creditore suo, & debitor delegatus à delegante liberatur.

Effectus utriusque est: Unam obligationem inducere, nam delegatus ei, cui delegatio facta fuit, obligatur.

In delegatione necessaria requiruntur.

Consensus delegantis, & delegatarii.

Debitor est = Ille à quo, eo invito, exigì potest pecunia.

Creditor est = Qui alienam fidem sequitur.

Compensatio est = Debiti, & crediti inter se contributio.

DE CONTRACTIBUS TRANSLATIONIS
jurium, & actionum, & de obligationes dissolventibus,
ac novantibus.

§. I.

De Cessione.

CESSIO est = Juris, & actionis translatio.

EXPOSITIO.

Juris, & actionis : Quia omnia jura, & actiones cedi possunt, præter criminales, & publicas, ac pupillares.

Translatio, non autem traditio : Quia jura, & actiones, cum incorporales sint, non traditionem, sed cessionem respiciunt.

Cessio est duplex, scilicet.

1. *Simplex*, de qua tantum est contractus, & est = Quæ tantum fit ad commodum cedentis, veluti cum quis cedit jura sua alteri ad exigendum ab aliquo certam quantitatem, ut de ea possit sibi in aliquo credito satisfacere.

Hæc tantum simplex mandatum importat, neque habetur loco solutionis; facit tamen ut creditor cessionarius non habeat recursum contra debitorem cedentem, nisi in eo quod à debitore cesso exigere non poterit.

2. *Alia* est = Quæ fit, cum nomina debitorum venduntur, insolutum dantur, aut delegantur. Hæcque cessio loco solutionis habetur, & est dependens à contractu in quo ponitur.

Cedere possunt, qui aliàs contrahere, & alienare possunt.

Cedi

Cedi potest omnibus personis, quibus à lege non est prohibitum.

Prohibentur infans, furiosus, mutus, surdus, eorum autem tutoribus, & curatoribus cedi potest.

Prohibentur etiam potentiores, ac magistratus.

De substantia cessionis sunt duo.

Res, & causa; ita quod cessio nuda, & sine causa non transfert actionem in cessionarium.

Cessiones, quæ pendent à contractu, in quo ponuntur, suum habent effectum, pro ut eæ, quæ fiunt in venditione, permutatione, insolutum datione, in donatione, vel simplici, vel cum causa, ac etiam in censualis instrumento, quando aliqua res specialiter obligatur.

Effectus hujus cessionis jam relatus est in expositione clausularum instrumenti venditionis rei immobilis.

Alia est: Quæ fit in consignatione, seu assignatione.

Effectus ejus est: Quod consignatarius potest exigere à consignato quantitatem consignanti debitam.

Alia est: Quando ceduntur nomina debitorum, ut quando quis suo creditori cedit suum creditum habentem à debitore suo.

Ejus effectus est duplex.

1. Quod per eam tollitur obligatio cedentis debitoris nomen.

2. Quod cessionarius potest exigere à debitore cesso creditum, quod habebat contra cedentem.

Alia est: Quæ fit in apochis, quandoque ad tuendum, quandoque ad recuperandum.

Effectus cessionis quo ad tuendum est: Quod cessionarius potest uti pristinis juribus cedentis, tam per temporis prioritatem, quam juris potioritatem ad deffendam rem ab ipso cessionario acquisitam.

Effectus cessionis quo ad recuperandum est: Quod

cessionarius actione mandati potest petere à debitore cedentis quantitatem sibi solutam, & etiam potest uti primævis juribus ante solutionem cedenti competentibus contra quoscumque creditores debitoris.

§. II.

De Transactione.

TRANSACTIONO est = De re dubia, lite incerta, nondum finita, aliquo dato, retento, aut promisso, non gratuita facta pactio.

EXPOSITIO.

De re dubia: Nam super re certa non fit transactio.

Lite incerta: Ubi enim nulla est lis, vel probabilis timor futuræ litis, nulla est transactio.

Nondum finita: Eo quia post rem judicatam non potest fieri transactio; quia tunc res jam non est dubia.

Attamen si post sententiam appellatio intercesserit, transigere potest, & valebit transactio, cum tunc sententia in judicatum non abierit.

Etiam post sententiam, quæ in judicatum abiit, potest transigere super fructibus, si sunt liquidandi.

Aliquo dato, &c.: Quia ut valeat transactio requiritur quod aliquid hinc inde detur, vel remittatur, aut promittatur.

Non gratuita: Quia transactio non est contractus gratuitus, nec gratis fieri potest.

Facta pactio: Nam absque pacto expresso, & simultaneo ambarum partium consensu, transactio induci non potest.

Transigere possunt, qui alios contractus celebrare, & de rebus suis alienare, & cum illis qui obligare se possunt, ac super rebus quæ alienari permittuntur.

Super alimentis debitis inter vivos potest transigere sine iudicis decreto; super vero alimentis relictis in ultima voluntate est distinguendum: aut cadit transactio super alimentis presentibus, & prateritis potest transigere sine iuramento, & iudicis decreto, cum ab eis non pendeat hominis vita, & sic alimentorum privilegia non habent; aut cadit super alimentis futuris, tunc transigere non potest nisi cum iudicis decreto, & causæ cognitione.

Si super controversia ex testamento orta transigitur, debent prius per partes testamenti verba inspici, seu intelligi, & Notarius in transactione de inspectione, & lectura mentionem facere debet.

Transactionis effectus est: Quod si stipulatione, & promissione vestita est, actio ex stipulatu datur, si vero nuda nullam actionem producit, sed pristina actione agendum est.

Est etiam effectus naturalem obligationem tollere, & civilem remanere.

Illæ verba: Medio, & interventu aliquarum amicalium personarum, &c. operantur quod faciunt cessare præsumptionem metus, vel doli.

Per verba illa: Renuntiantes liti motæ, &c. intelligitur partes renuntiassè, nedum instantiæ; sed etiam causæ, & juti principali in profanis, non autem in beneficialibus.

Illæ clausula: Remittendo omne jus, quod habet, & habere sperat in dicta re, tam de præsentì, quam de præterito, & de futuro, operatur remissionem juris, tam ex causa de præsentì, quam de futuro.

§. III.

De Pacto de non petendo.

PACTUM DE NON PETENDO est = Quod imponitur ad extinguendam obligationem, sive re, sive verbis, sive litteris, sive consensu contractam.

Pactum de non petendo est duplex.

1. Gratuitum, quod fit gratis. 2. Non gratuitum, quod fit aliquo dato, retento, aut promisso.

Item est duplex.

1. Perpetuum, quod fit nullo tempore adjecto.

2. Temporale, quod fit ad tempus.

Pacti de non petendo effectus est: Naturalem obligationem tollere, & civilem remanentem elidire.

§. IV.

De Acceptilatione.

ACCEPTILATIO est = Imaginaria debiti solutio.

Forma illius est hæc: Quod promisi tibi, habes ne acceptum? & tu dicis habeo.

Effectus ipsius est, verbalem obligationem, non autem cæteras tollere.

Acceptilatio est de jure civili, quod naturalia non tollit, nec immutat.

§. V.

De Aquiliana Stipulatione.

AQUILIANA STIPULATIO est = Promissio, quæ novat omnem contractum.

Est duplex.

Generalis, & specialis: Ista est = Quæ specialiter
reno-

renovat aliquas obligationes; idest quæ de quibusdam debitis facit unum, & per eam redeunt ad unum novum debitum; illa est quando quis habet plurima debita, & omnia ad unum novum debitum reducit, & omnes antiquas obligationes tollit, ad unam novam reducendo.

Forma aquilianæ stipulationis est: Quod ex tali mutuo, vel aliàs, omne quod mihi debes, daturum, & soluturum promittis? & tu dicis promitto.

Ejus effectus est: Omnem anteriorem naturalem, & civilem obligationem tollere, & unam novam facere per acceptilationem.

Acceptilatio, & aquiliana stipulatio in quatuor conveniunt.

1. Utraque de jure civili est.
2. Utraque fit verbis.
3. Qui stipulare, acceptilationem facere possunt.
4. Sicut stipulatio inter absentes inutilis est, ita acceptilatio.

Differunt vero in duobus.

1. Stipulatio obligat, acceptilatio liberat.
2. In stipulatione actor interrogat, & reus respondet; è contra fit in acceptilatione.

§. VI.

De Solutionibus.

SOLUTIO est = Debiti, vel pro debito satisfactio.

EXPOSITIO.

Debiti: Quia illud solvi debet quod est in obligatione.

Pro debito: Quia aliud pro alio, invito creditore, solvi non potest, bene vero creditore consentiente.

Satisfactio: Quia solutione ejus quod debetur, omnis tollitur obligatio.

Solutio tribus accipitur modis, scilicet proprie, improprie, & magis improprie; sive stricte, large, & largissime.

Proprie, sive stricte sumitur, quando solvitur quod ex obligatione debetur, si tamen corporalis sit, nam incorporalia non respiciunt solutionem, vel traditionem.

Improprie, sive large accipitur, quando aliud solvitur, quam illud quod est in obligatione, vel quando solutio fit pro omni liberatione, quam facit creditor debitori.

Magis improprie, sive largissime sumitur, quando nihil solvitur, ut in acceptilatione.

Solvere potest, & tenetur obligatus, vel ejus hæres, in quem actio obligationis transit, si tamen compos sit mentis, & major viginti quinque annis.

Tutores, curatores, procuratores, & administratores recte solvunt.

Voluntarie solvere potest quilibet homo, dummodo sit persona habilis ad contrahendum: & potest solvere debitore volente, vel consentiente, ignorante, vel invito; tenetur enim creditor invitus à debitore, & à quocumque etiam alio oblatam solutionem recipere.

Si quis solverit, debitore consentiente, & volente, potest agere contra debitorem actione mandati, ad repetendum quod solvit.

Si quis solverit, debitore ignorante, habet actionem negotiorum gestorum ad repetendum id quod solvit pro debitore; quia ejus negotia gessit.

Si quis solverit, debitore invito, non potest ab eo aliquid petere; quia donare voluisse videtur.

Solvi debet de necessitate legitimo creditori, vel ejus successori, cui competit actio obligationis, vel habenti jus, & causam à creditore.

Pupillo, furioso, & similibus solvi non debet, sed iis in quorum tutela, curave consistunt.

Solvi potest adulto, etiam curatore carente, cum habeat liberam bonorum suorum administrationem.

Solvens tutoribus, vel aliis de illorum mandato liberatur.

Voluntarie solvi potest cuilibet creditori volenti, mandanti, vel consentienti.

Solutio est fienda in loco destinato solutioni, & non alibi. Item congruo, & securo loco. Item congruo tempore.

Effectus, & virtus solutionis est: 1. Quod solutione ejus quod debetur, omnis tollitur obligatio: 2. Quod tollitur, & liberatur fidejussor: 3. Quod debitor non potest amplius in poenam incidere: 4. Quod per solutionem omnes debitores, & obligati liberantur: 5. Quod pignora, si sunt data, restituuntur: 6. Quod debitor amplius in mora constitui non potest.

C A P. V.

DE CONTRACTIBUS LOCATIONIS, & conductionis.

§. U N I C U S.

LOCATIO est = Personæ, vel rei ad usum facta concessio, pro certa mercede in pecunia numerata conventa.

EXPOSITIO.

Personæ, vel rei: Quia non solum rerum usus, sed etiam personarum opera quandoque locantur.

Ad usum: Ad differentiam venditionis, nam in locatione solum usus rei locatæ conductorii conceditur.

Fac-

Facta concessio, non autem translatio : Quia is, cui fit simpliciter locatio, non habet jus in re locata, nec pro se, sed pro domino possidet, neque dominium ullum acquirit, nisi ipsa conductio esset perpetua, vel ad non modicum tempus facta, quia tunc conductor quidem haberet jus in re, & naturalem possessionem.

Pro mercede : Ad differentiam commodati; nam si gratis usus concessus sit, commodatum, aut precarium erit.

Certa : Quia requiritur, quod merces sit certa, aliàs enim si tradatur res pro mercede incerta, locatio, & conductio contrahi non videtur.

In pecunia numerata : Quia ubi merces in pecunia non est, non est propria locatio.

Conductio est = Personæ, vel rei ad tempus, & usum acceptatio, mercede, vel pretio in pecunia numerata conventa : quæ definitio satis est clara.

Locator est = Qui rem, vel personam locat.

Conductor = Qui rem, vel personam locatam accipit.

Locationum species sunt tres, scilicet = *Alia rerum* = *Alia operum* = *Alia rerum, & operum simul.*

Locatio rerum fit : Quando aliquam rem mobilem, vel immobilem alicui ad usum conceditur.

Locatio operum est : Quis locat opera sua pro certa mercede, ut pingere imaginem, scribere librum, vel aliquod opus faciendum.

Locatio rerum, & operum simul est : Quæ utrumque continet.

In locatione tria sunt necessaria, scilicet = *Res* = *Merces pecuniaria* = *Et partium consensus.*

Res scilicet mobilis, & immobilis, corporalis, & incorporalis, quædam tamen sunt incorporales, quæ locari non possunt, ut servitutes prædiales, licet ven-

di possint. Ususfructus, licet vendi non possit, tamen locari potest, hoc est ejus commoditas.

Cætera vero jam sunt dicta in expositione definitionis.

Locatio contrahitur solo consensu, & per finalem actum scriptura:

Locatio dissolvitur: 1. Contrario consensu locatoris, & conductoris: 2. Interitu rei, nisi dolo, vel culpa conductoris periret: 3. Per finem usus rei locata.

Locatio debet fieri ad modicum, & non ad longum tempus.

Differentia inter ipsas est: Quod ex locatione ad modicum tempus non transfertur possessio, & conductor possessionem non habet, sed solum detentionem, & ex ea non debetur laudemium.

Ex locatione autem ad longum tempus transfertur utile dominium, & naturalis possessio, cum sit species alienationis, & dicitur alienatio, ex qua debetur laudemium.

Locatio ad longum tempus est: Illa quæ excedit quinque annos.

Locatio facta pro duobus, aut pluribus quinquennis, itaut finito uno, alterum incipiat, pariter alienatio est.

Locare quis potest rem suam, nisi reperiatur specialiter prohibitus, unde qui prohibiti sunt contrahere, etiam locare ad longum tempus, non vero ad breve.

Tutores, & curatores res pupillorum, vel minorum locare possunt ad modicum, non autem ad longum tempus.

Locari possunt omnes res corporales, sive incorporales, mobiles, & immobiles, aut se moventes, dummodo non sint prohibita locari.

Locatio est duplex. = Expressa: = & tacita.

Expressa est = Quando verbis expressis partes conveniunt.

veniunt de aliqua re locanda, constituta certa mercede.

Tacita est = Quando conductor, finito tempore conductionis, retinet rem locatam, sine nova conventionne, utroque tacente, & tacendo tacite consentiente.

Utriusque tamen locationis eadem est natura, quoniam in tacita censetur repetitum, censeturque facta reconductio sub eisdem pignoribus, pactis, conditionibus, renuntiationibus, & clausulis.

Non tamen videtur fieri sub eisdem temporibus, maxime in rusticis, in quibus pro uno anno censetur, etiam si prima conductio fuisset majoris temporis.

Nec dicta reconductio censetur facta cum eisdem fidejussoribus, qui in prima locatione intervenerunt obligati, cum eorum obligatio renovata non censeatur.

Neque instrumentum, seu scriptura in tacita reconductione continetur, cum hæc requirat factum.

Stipulatio in prima locatione facta, non censetur repetita in tacita reconductione; eo quia stipulatio certam verborum solemnitatem requirit.

Guarentigia primæ locationis non censetur repetita in tacita reconductione.

Ex locatione datur actio ex locato, & competit locatori, qui rem locavit, & finito tempore conductionis conductor tenetur rem conductam locatori restituere non deterioratam, & tenetur de dolo, lata, vel levi culpa.

De levissima autem, neque de casibus fortuitis regulariter non tenetur, nisi specialiter sit conventum, & casus individuati, seu de eis specifica facta sit mentio, vel ipsum casum præcedat culpa, vel mora conductoris.

Pactum quo quis suscipit in se generaliter omnes casus fortuitos non valet.

Actio ex conducto datur, & competit conductori alicujus corporis, vel rei, ut locator impleat conventa.

Locatio, seu affirmamentum alicujus minoris cum aliquo officiali mechanico ad certum tempus ad edicendum suum officium, debet fieri per patrem minoris, & licet pater promiserit, quod filius suus continue morabitur in domo dicti officialis, pater non tenetur, quia nemo promittendo factum alienum regulariter tenetur.

Si vero pater promiserit se facturum, & curaturum, quod filius suus continue morabitur, tunc tenetur, quia proprium, & non alienum factum promittit.

Si vero minor patrem non habet, sed curatorem, iste debet firmare affirmamentum, cum in locum patris succedat.

Si autem minor compleverit quatuordecimum suæ ætatis annum, optime poterit se ipsum affirmare, cum consensu tamen patris sui, si illum habet, si non cum auctoritate curatorum, si illos habet, & si non ipse solus.

Locatio, & conductio cum emptione, & venditione conveniunt.

1. Sicut in venditione unius verbi appellatione totus contractus continetur, ita in locatione, & conductione.

2. Sicut in venditione tria requiruntur, ita in locatione.

3. Sicut venditio, constituto pretio in pecunia numerata, perfecta est; ita locatio constituta mercede pecuniaria.

4. Sicut venditio est contractus nominatus, ita locatio, & conductio.

5. Quia uterque contractus est de jure gentium, & bonæ fidei.

6. Sicut emptio sub conditione contrahi potest, ita

&

& locatio; & sicut emptio donationis causa non fit, nec locatio.

7. Quod in utroque quis deceptus ultra dimidium, vel plus duplo justæ æstimationis, conditione agere potest.

5. Quod quemadmodum emptio ex minimo pretio simulata reputatur, & donatio potius est, ita & locatio.

9. Sicut in emptione potest peti ut res tradatur, aut id quod interest, ita in locatione.

Differunt vero.

1. Quod emptio alienat rem, locatio autem non, nisi sit ad longum tempus.

2. Quod in emptione periculum rei venditæ statim pertinet ad emptorem, atque de pretio conventum est, in locatione aliud observatur.

3. Venditor tenetur rem tradere, & non potest rem revocare, locator vero sic.

4. Quod locator si præstat rem æque bonam conductori, quæ ab alio prohibetur uti, liberatur; venditor vero non potest emptori aliam rem, quam comparaverit, tradere nolenti.

5. Quod emptio, & venditio parant causam usucapiendi; locatio autem nullo modo.

6. Quod in emptione si res tradatur semel, non amplius ad tradendam rem agi potest; sed in locatione si tradita fuerit res, nec liceat frui re locata, iterum agitur ut tradatur.

C A P. VI.

DE CONTRACTIBUS SIMPLICITER

conventionalibus.

S. I.

De Compromisso.

COMPROMISSUM est = Actus legitimus trium, vel plurium personarum, in quasi iudicio contendentium super civili, vel pecuniaria quæstione.

E X P O S I T I O.

Actus legitimus : Nam compromissum à jure civili introductum est.

Trium, vel plurium personarum : Idest ad minus actoris, rei, & arbitri.

In quasi iudicio contendentium : Quia arbitria ad instar iudiciorum sunt.

Super civili, &c. : Quia super criminali quæstione, nisi super ea pœna pecuniaria, imponatur compromissum fieri non potest.

Compromittere possunt omnes, quibus permissum est contrahere, & de rebus suis alienare; taliter quod qui contrahere, & alienare non valent, neque compromittere, & personæ, quæ in arbitrum compromittunt, tales esse debent, quæ stare in iudicio, & iudicium subire possint.

Unde cum minor, & ecclesia alienare non possint, quin decretum superioris interveniat super re immobili, ideo neque compromittere absque decreto.

Quod decretum debet intervenire in compromisso, & non in laudo.

Compromittere potest super rebus corporalibus, in-

corporalibus, sensibilibus, insensibilibus, movilibus, semoventibus, & immobilibus, dummodo possint in iudicio deduci.

Compromittere non potest super libertate, servitute (nisi sit prædialis), ingenuitate, libertinitate, matrimonio, conversione, monachatione, nec pupillari actione.

Roboratur compromissum quatuor modis.

1. Pœna : 2. Emologatione : 3. Taciturnitate : 4. Rei traditione.

Tollitur compromissum septem modis.

1. Per lapsum temporis : 2. Rei interitu : 3. Morte alicujus compromittentium, nisi sit dictum per me, & meos : 4. Morte iudicis, vel arbitri, & si plures sunt electi, morte unius tantum : 5. Si aliqua partium infamat iudicem : 6. Si iudex habet causam recusationis justam : 7. Si partes de communi ipsarum consensu litigare velint.

Compromissum fieri potest per procuratorem, dummodo sit constitutus cum speciali mandato, quod requiritur in compromisso.

Compromissum tantum incipit valere à die quo arbitri illud acceptant, & ante acceptationem non currit terminus in compromisso præfixus.

Arbitrorum species sunt tres.

Quidam dicitur arbiter simpliciter, alius arbitrator, & alius arbiter juris.

Arbiter simpliciter est = Ille qui de consensu partium eligitur, & in eum sub pœnæ stipulatione compromittitur, ut metu pœnæ stetur ejus laudo, & arbitrio.

EXPOSITIO.

Dicitur *ille qui de consensu partium eligitur* duplici ratione : 1. Quod arbiter eligi debet utriusque partis consensu : 2. Ad differentiam iudiciorum, quia iudicia

cia ex parte actoris, rei, & judicis sunt necessaria, compromissum autem est voluntarium.

In eum, non autem in eam: Quia mulier arbiter esse non potest.

Sub pœnæ stipulatione: Quia nisi pœna per stipulationem promittatur, peti non potest.

Ut metu pœnæ, &c. Ut partes compromittentes cogantur stare laudo, & arbitrio, & si nolint pœnam exolvant.

Arbitrator est: Quidam amicabiliter compositor, qui habet dirimere, & dividere litem potius de facto, quam de jure, & sine aliquo juris ordine.

Arbiter juris est = Qui eligitur ex necessitate legis, sive statuti; ut quando judex allegatur suspectus, quando debent eligi arbitri à partibus ex necessitate juris ad cognoscendum de suspicionem.

Arbitri esse possunt omnes, qui non prohibentur à lege, & sic masculus arbiter esse potest, dummodo sit sanæ mentis.

Arbitri esse non possunt = Fœmina, licet tamen arbitrix esse possit cognoscendo de facto, non autem de jure. = Monachus, & Religiosus, nisi pro sui Monasterii utilitate cum consensu Superioris, = servus, = mutus, = surdus, = furiosus, = ebrius, = mentecaptus, = utroque lumine privatus, = committens crimen læsæ majestatis, = judex ordinarius illius rei super qua compromittitur; arbitrator tamen esse potest, quia iste tantum de facto cognoscit, = & nemo in causa propria.

Arbiter potest terminum compromissi prorogare si sibi data est potestas in compromisso à partibus compromittentibus, quæ prorogatio fieri debet durante termino in compromisso præfixo, & non potest fieri ultra idem tempus, quod præfixum est in compromisso;

& si facultas prorogandi est concessa, ut prorogare possit toties quoties, potest prorogare bis, ter, & amplius.

§. II.

De Pace, & Tregua.

PAX est = Discordiæ finis, qui propter concordiam, atque pacem imponitur.

TREGUA est = Securitas in rebus, & personis ad tempus præstita, discordia nondum finita.

INDUCIÆ sunt = Conventio facta de non provocando ad bellum, quæ fiunt ad modicum tempus.

Pax est duplex.

1. Publica: Quæ fit inter regna, & castra.
2. Privata: Quæ fit inter privatas personas.

Pax fit inter discordes, eorumque hæredes, & potest fieri per procuratores ad hoc specialiter constitutos.

Pœna pacis est triplex.

1. Legalis, quæ ab aliqua lege, vel statuto apponitur.
2. Criminalis, quæ secundum crimen apponitur.
3. Conventionalis, quæ apponitur ex partium conventionem, & pacis violatori recte exigi potest.

Quinque modis pax roboratur.

1. Juramento: 2. Osculo: 3. Pœna: 4. Matrimonio:
5. Fidejussione.

Pacem facere possunt, qui aliàs possunt contrahere.

In pacis instrumento specificari non debet quod crimen commisit, nam ex sola probatione inde resultanti contra eum iudex agere posset.

§. III.

De Societate.

SOCIETAS est = Duorum, vel plurium honesta fac-

ta conventio, ob commodiorem usum, & uberio-
rem quæstum.

EXPOSITIO.

Duorum, vel plurium: Nam in sola persona societas non datur.

Honesta conventio: Quia nec inhonesta, nec contra bonos mores societas esse potest.

Ob commodiorem usum, &c. Socii enim commodius, & uberius arte, seu industria uti possunt.

Societas contrahitur solo consensu, & his modis.

1. De omnibus bonis: 2. Simpliciter sine mentione bonorum: 3. Una sola negotiatione: 4. Una tantum re: 5. Ad certum tempus, vel usque ad mortem alicujus socii: 6. Pure: 7. Sub conditione.

Societas contrahitur inter personas, quæ alios contractus celebrare possunt, & efficaciter se obligare.

Societas contrahi potest super illis rebus, quæ possunt alienari, & in contractum deduci.

De natura societatis est = Quod servetur id, de quo expressim partes convenerunt.

Et si nihil conventum est, æqualitas lucri, & damni servari debet secundum proportionem.

Valet societas cum pacto, quod quis habeat duas partes lucri, & tertiam damni, alter vero duas damni, & tertiam lucri.

Non vero quod unus omnem lucrum sentiat, & alter de toto damno teneatur, quæ sic contrahi non potest; esset enim leonina societas.

Valet etiam societas, ut unus pecuniam, & alter operam ponat, & lucrum sit commune.

Pariter valet societas contracta, ut nullam partem damni alter socius sentiat, lucrum vero commune sit.

Solvitur societas octo modis.

1. Morte unius sociorum, nisi per nos, & nostros dicatur: 2. Contraria voluntate: 3. Renuntiatione non dolosa: 4. Comuni consensu: 5. Rei interitu: 6. Finito negotio: 7. Cessione propter debita: 8. Publicatione bonorum.

Socius socio in quinque tenetur.

1. Observatione promissa: 2. De dolo: 3. Lata culpa: 4. Levi culpa: 5. De ratione reddenda.

Non autem tenetur in duobus.

1. De levissima culpa: 2. De casibus fortuitis.

Societas non transit ad hæredes, nisi sit actum per pactum, vel sit societas publica.

Tempus societatis in arbitrium tertii conferri potest.

Tria in societate concurrunt.

1. Lucrum verum, quod ultra capitale remanet: 2. Lucrum cessans, quando capitale tantum remanet: 3. Damnum, quod est capitalis diminutio.

A P P E N D I X I.

De Soccida.

SOCCIDA est = Brutorum animalium, cum fructu, & fætu alteri communicandorum, contracta societas.

EXPOSITIO.

Brutorum animalium: Quia super talibus fit soccida.

Cum fructu, & fætu alteri communicandorum: Quia quandoque agitur inter contrahentes, ut ipsa animalia, super quibus soccida fit, fructus, & fætus ipsorum communicentur; quandoque agitur, ut ipsa animalia ante partitionem deducantur, & fructus, & fætus solummodo communicentur, quæ tunc dicitur ad saluum caput; aliquando fieri solet, ut æstimatio ipso-

rum

rum animalium ante partitionem habeatur, & fructus, & fetus ipsorum æqualiter dividantur, quæ tunc dicitur ad salvum capitale.

Contracta societas: Quia si causa societatis contrahendæ sunt pecora pascendo data, quamvis æstimata, tunc datur actio pro socio, & vere dicitur contracta societas.

§. IV.

De Divisione.

DIVISIO est = Communium rerum separatio.

EXPOSITIO.

Communium rerum: Quia de communibus fit divisio.

Separatio: Quia uterque rei, quæ ei ad partem attingit, dominus efficitur.

Duo sunt de substantia divisionis.

1. Res divisa: 2. Traditio, seu stipulatio.

Dividere possunt, qui aliàs contrahere, & alienare; minor vero non, nisi ad divisionem ab alio sit provocatus, nam tunc non esset divisio alienatio voluntaria.

Divisio contrahitur inter possidentes bona communia de communi consensu.

Fieri potest: 1. Per viam iudicii: 2. Per viam compromissi: 3. Per æstimatorem: 4. Per testatorem: 5. Per licitationem: 6. Per sortem.

Testator non potest divisionem prohibere ad in perpetuum, bene vero ad tempus.

Pactum inter fratres de stando in communione in perpetuum, cum communio sæpe sæpius inducat discordias, non valet, bene vero valet si fit ad certum tempus.

Nemo invitus cogitur stare in communione, etiam

si

si per longissimum tempus bona fuerint communiter possessa; eo quia contra divisionem non datur præscriptio.

Jus patronatus: Quia spiritualibus est annexum, neque pro illo ex indivisibilitatis causa pecunia recipi potest, ideoque commune remanere debet, idest quod præsentationes alternative fiant.

§. V.

De novi operis Nuntiatione.

NUNTIATIO NOVI OPERIS est = Alicujus rei ab alio alteri, ut aliquid fiat, vel non fiat, declaratio, seu monitio; *vel est*: Monitio quod novum opus fiat, & prohibitione novum opus ædificetur; *aut est*: Prohibitio legaliter facta illi, qui de novo ædificat in præjudicium alterius.

Novi operis nuntiatio solum pertinet ad ædificationem, & ad res, quæ solo conjunctæ sunt.

Si novum opus fit in loco publico, nuntiatio potest fieri à quolibet de populo.

Si fit novum opus in agro communitatis, solum potest nuntiare, qui habet ab ea mandatum.

Si fit in agro privato, solum potest nuntiare qui dominium, vel jus servitutis habet, dummodo sit habilis ad contrahendum, aut habeat liberam bonorum suorum administrationem.

Nuntiatio novi operis, cum fiat in rem, & non in personam, potest fieri furioso, infanti sine tutoris auctoritate, servo, & cuicumque alteri novum opus facienti, quæ potest fieri quacumque die feriata in honorem Dei, si tamen fit extra judicialiter.

Nuntiatio novi operis fieri potest dupliciter, scilicet judicialiter, vel extra judicialiter.

Judicialiter fit adesto iudice, ut ædificanti præcipiat quatenus ab opere se absteineat.

Extra judicialter vero fit, vel solo verbo, dicendo: *Nuntio novum opus*, & hoc in loco ædificii ipsi domino novi operis, vel per jactum lapidis, vel lapilli in novum ædificium, sive opus projiciendo, quod similiter in loco ædificii fieri debet coram Notario, & testibus.

Oportet in jactu lapidis, sive lapilli, & manuum oppositione, intervenire verba, quæ exprimant ea ratione fieri, ut prohibeatur novum opus, & nuntians non tenetur dicere causam cur nuntiat, & prohibeat; quidam tamen tenent triplicem lapillum esse projiciendum.

Requitur etiam in nuntiationis detestatione apponere quantum opus jam factum sit, & mensuram capere, tam latitudinis, quam longitudinis, instrumento publico coram Notario, & testibus, ut appareat quid post nuntiationem factum fuerit.

Hæc detestatio dicitur nuntiatio facta cum testium vocatione, & adhibitione, quæ fieri potest contra absentes.

Effectus nuntiationis novi operis est, quod si nuntians solum nuntiat verbis perdit possessionem, & ædificantem possessorem facit; si nuntiat per jactum lapilli, vel judicialiter, tunc non perdit possessionem, nec adversarium possessorem facit.

Ex parte nuntiatii effectus est, quod facta nuntiatione quiescere debet ædificatio, & opus intermittitur, donec de ea re cognitum sit; quia nuntiatio novi operis habet vim appellationis, qua pendente nihil est innovandum.

DE CONTRACTIBUS, ET PACTIS,
*quibus quis alienæ potestati se subjicit, liberatur, cum-
 que decreto præsidis, & sine, & aliena negotia*
gerit.

s. I.

De Adoptione, & Adrogatione.

ADOPTIO est = Actus legitimus, per quem, qui filius non est, pro filio habetur, pene naturam imitans.

EXPOSITIO.

Actus legitimus : Quia à jure civili introducta est adoptio.

Per quem qui filius non est : Nam filius proprius non adoptatur.

Pro filio habetur : Nam qui filium alienum adoptat, ipsum in filium gratuito eligit.

Pene : Idest fere.

Naturam imitans : Quia non fiunt adoptati filii naturaliter, sed accidentaliter, natura enim non cooperatur in eis.

Adrogatio fit cum quis quempiam, qui sui juris est, in potestatem suam loco filii accipit : Quæ definitio satis est clara.

Adoptio fit de consensu patris adoptantis, ac patris legitimi, & naturalis, de voluntate filii, & judicis auctoritate, quæ omnia sunt necessaria.

Adrogatio fit per patrem adrogantem de consensu filii, & Principis auctoritate, seu rescripto, quæ omnia etiam sunt necessaria.

Adoptare possunt masculi qui filios habent, & qui

ip-

ipsis carent, & etiam adrogare possunt, dummodo quadraginta annos habeant; non autem mulieres, filios namque in potestate habere non possunt, nisi propter solatium, sed tamen cum speciali Principis licentia.

Clerici, si habent proprium, adoptare possunt, quia non habent impedimentum naturale, sed accidentale.

Minor natus majorem adoptare non potest.

Adoptari possunt filii familias masculi, & foeminae, etiam si sint infantes; alii vero non, nec semel adoptatus, nec bastardus, à patre naturali adoptari non potest.

Adrogari possunt patres familias, & illi qui sunt sui juris tantum, sive masculi, sive foeminae.

Impubes adrogari non potest, nisi per Principis rescriptum, cum causae cognitione, & adrogans debet cavere de bonis adrogati restituendis, si intra pubertatem decesserit, & etiam quartam partem bonorum suorum tenetur ei relinquere.

Adoptans, vel adrogans, adoptatum, vel adrogatum in aetate decem octo annorum saltim praecedere debet.

Effectus adoptionis est, filium adoptatum, in potestate patris adoptantis transire, si suum, & necessarium esse contigerit, v. g. Neptem ab avo adoptatum, & ipse neptus ad bonorum adoptantis divisionem, sicut filii legitimi, & naturales, venit.

Si vero adoptans est extraneus, jus succedendi ab intestato tantum habet, quia per adoptionem in potestate adoptantis non transit.

Effectus adrogationis est triplex.

1. Adrogatus cum sua familia, & cum omnibus bonis suis; idest quo ad usumfructum, in patris adrogantis potestatem transit: 2. Jus ex testamento, vel ab intestato habet succedendi: 3. In bonis patris adrogantis, adrogatione tantum durante, jus alimentorum habet.

Adop-

Adoptio, & adrogatio in quatuor differunt.

1. Adoptio fit de filio familias; adrogatio de patre familias: 2. Adoptio fit coram quocumque iudice; adrogatio coram Principe, vel cum ejus rescripto: 3. Adoptio fit cum quatuor personarum interventione; trium vero adrogatio: 4. Adoptatus non transit regulariter in potestatem adoptantis; adrogatus semper in adrogantis potestatem.

Conveniunt vero in tribus.

1. Utraque à jure civili est inducta: 2. In utraque scriptura requiritur: 3. Nulla per procuratorem fieri potest.

§: II.

De Professione, & Offertione.

PROFESSIO est = Abnegatio propriæ voluntatis, vitam activam abnegantis, & contemplativam libere eligentis.

OFFERTIO est = Personæ, rei, vel rerum alicui domino, vel loco religioso facta oblatio.

In professione personæ quatuor considerantur.

1. *Ætas*: Quæ est sexdecim completorum annorum: 2. *Conditio*, quæ est libertatis: 3. *Sanitas præcipue mentis*: 4. *Honestas vitæ, & morum.*

Professio solo consensu perficitur.

Duplex est ejus effectus.

1. *Professus* habetur pro mortuo civiliter: 2. *Quidquid acquirit Monasterio* acquirit.

Offertio quatuor modis fieri potest.

1. *Dedicando personam tantum*: 2. *Dando bona Monasterio*: 3. *Dando se, & sua simul*: 4. *Dando unam rem tantum.*

Offertionis effectus est: Quod quis se Monasterio dat, se, & sua dare videtur.

§. III.

De Manumissione.

MANUMISSIO est = Libertatis datio.

Servus enim per manumissionem liber efficitur.

Manumittere possunt, qui aliàs possunt contrahere, & de rebus suis disponere.

Manumissio fit = Quandoque vindicta, & hoc fit virga prætoris: quandoque inter amicos, idest amici amore: quandoque per epistolam, seu nuntium: Prædicti modi jam recesserunt, & hodie tantum fit publico instrumento, vel ultima voluntate.

Publico instrumento fit = Quando quis servo suo gratuito, vel mediante pecunia libertatem detegit, & ab omni servitute eximit.

Ultima voluntate fit duobus modis.

1. Per legatum libertatis: 2. Per institutionem hæredis servo factam.

Triplex est manumissionis effectus.

1. Vere liber manumissus efficitur; ita quod libere contrahere potest: 2. Manumissus nequit vocare patronum in jus, nisi ejus venia petita, & obtenta: 3. Manumissus caput inclinare debet cum patronum videat, & ingratus ei non debet esse; nam per ingratitudinem revocatur à patrono in servitutem.

Dominus servum, in creditorum fraudem, manumittere non potest.

De Emancipatione.

EMANCIPATIO est = Relaxatio patriæ potestatis coram legitimo iudice facta.

EXPOSITIO.

Relaxatio patriæ potestatis : Nam jus patriæ potestatis, quod pater in filio, & avus de jure communi in nepte habent, per emancipationem dissolvitur.

Coram legitimo iudice facta : Quia si ita non fieret, non valeret.

In emancipatione tria sunt necessaria.

1. Patris consensus : 2. Filii voluntas : 3. Iudicis competentis auctoritas.

Medietas ususfructus bonorum adventitiorum filii emancipati à patre emancipante pro emancipationis præmio retinetur, sed per pactum totum remittere potest.

Emancipare possunt omnes qui sunt sui juris, & de linea ascendentium, & masculina eos quos sub potestate habent.

Dicitur linea masculina : Quia foemina, quæ potestatem in filios non habent, emancipare non possunt.

Eos quos sub potestate habent : Quia pater non habens filios in potestate, eos emancipare non potest.

Emancipari possunt filii familias, tam masculi, quam foemina.

Emancipari non possunt sequentes.

Infans : = Absens, ambo nisi cum rescripto Principis : = Sensu carens : = & invitus.

Effectus emancipationis est duplex.

1. Emancipatus sui juris efficitur, & contrahere potest : 2. Omnia jura patris in filium tolluntur.

Emancipatio per ingratitudinem revocatur, & per pro-

procuratorem, nec ad unum dumtaxat actum fieri nequit, sed debet esse generalis, & absoluta.

Pater non cogitur emancipare filium, neque filius invitus emancipari potest.

Fallit tamen, quia pater cogitur emancipare filium his casibus.

1. Si patri legatum fuerit relictum sub conditione filium emancipandi, & legatum acceptaverit: 2. Si impubes adoptatus sit, & post pubertatem probet adoptionem sibi esse inutilem, vel damnosam, cogitur emancipari à patre adoptivo: 3. Si pater filium durius tractet, & ad peccandum compellat.

Licet in instrumento emancipationis non opus sit causam exprimi quare pater emancipat, tamen si fit emancipatio filio ægrotanti, præsumitur facta non alia causa, quam ut filius reddatur habilis ad testandum, & est nulla una cum testamento ad favorem patris facto.

In emancipatione opus est scriptura.

§. V.

De Tutela.

TUTELA est = Vis, atque potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere nequit, à jure civili data, & permissa.

EXPOSITIO.

Vis, atque potestas: Quia est violenta, tam ex parte pupilli, quam tutoris, & judicis, huic quando est dativa.

In capite libero: Quia tam persona pupilli, quam tutoris debet esse libera.

Ad tuendum eum: Nam tutor datur ad tuendum.

Qui propter ætatem se defendere nequit: Ad differentiam

tiam

tiam curatoris, qui datur furiosis, & mentecaptis, qui propter morbum se juvare non possunt.

A jure civili: Idest à lege, vel à judice.

Data, & permissa: Quia tutela à lege duodecim tabularum introducta fuit.

Tutela est triplex.

1. Testamentaria, quæ in testamento, seu codicillo datur: 2. Legitima, quæ pupilli agnatis, & cognatis secundum ordinem succedendi competit: 3. Dativa, quæ per judicem datur, testamentaria, & legitima non extantibus.

Tutor etiam est triplex.

1. Testamentarius: 2. Legitimus: 3. Dativus, prout tutela.

Officium tutoris est jurare, satisfacere, inventarium facere, administrare, rationem reddere, reliqua restituere.

Finitur tutela.

1. Adveniente pubertate: 2. Morte: 3. Adrogatione: 4. Deportatione: 5. Servitute, aut captivitate: 6. Eventu, seu existentia conditionis, vel temporis: 7. Capituli diminutione: 8. Si tutor à judice removetur.

Excusatur quis à tutela.

1. Propter multos liberos: 2. Qui administrat res fisci quamdiu administrat: 3. Si rei publicæ causa absunt, quamdiu sunt absentes: 4. Qui habent aliquam potestatem; sed incepta tutela deserere non possunt: 5. Qui habent litem de hæreditate, vel de omnibus bonis, non autem super re particulari: 6. Propter paupertatem: 7. Propter infirmitatem impediendam: 8. Rūdus, & litterarum ignarus, non autem si sunt rustici, sagaces, & versati: 9. Si quis à testatore electus sit tutor propter inimicitiam: 10. Inimicitia capitalis inter testatorem, & tutorem: 11. Si testator moverit

controversiam tutori, an sit servus, vel liber: 12. Qui septuaginta suæ ætatis annos compleverit: 13. Miles qui non debet armis vacare: 14. Magister liberalium artium.

§. VI.

De Cura.

CURA est = Potestas in capite libero ad tuendum, atque administrandum negotia, bonave.

Cura est duplex.

1. Legitima, & dativa, nulla testamentaria saltim directa, quia patri non licet disponere de bonis puberum, & si à patre datur curator, citra inquisitionem confirmatur à prætore.

Curator est = Ille qui datur à judice, vel à lege liberis puberibus interdum invitis, nec non majoribus viginti quinque annorum, quandoque furioso, mente-capto, muto, prodigo, & perpetuo morbo laboranti, rei, causæ, ventrive, bonis absentis, & indefensi, & operibus publicis cum idonea cautione, semperque cum jûratoria præstanda.

Dicitur *ille*, non autem *illa*: Quia mulier non potest esse curatrix.

Qui datur à judice, vel à lege: Quia omnes curatores dantur à judice, præter in duobus casibus.

1. Quando quis est furiosus: 2. Quando est prodigus, in quibus casibus dantur à lege.

Puberibus: Quia adultis regulariter dantur curatores usque ad viginti quinque annos, & non ultra regulariter.

Interdum invitis: Quia si pubes habet aliquam causam, debet habere curatorem, & in aliquibus aliis casibus.

Nec non majoribus viginti quinque annorum: Quia

etiam majoribus datur curator propter dementiam, & alias causas.

Quandoque furioso, mentecapto, & prodigo : Quia eis datur curator; tamen si sunt minores viginti quinque annorum, dantur non propter morbum, vel vitium, sed ratione ætatis.

Muto : Quia etiam datur curator, si est mutus à nativitate.

Causæ : Quia quando pupillus habet causam, vel litem cum aliquo, datur illi curator causæ, qua finita cessat esse curator.

Rei : Quia nedum generaliter, verum etiam ad unam rem tantum potest dari curator.

Ventri : Quia quando mulier est prægnans, vel dicitur se esse, & non est, datur ei curator, ne ipsa bona dissipet mariti.

Bonis absentis, & indefensi : Quia si quis causam habens est absens, & citatus non comparuit, iudex assignat ei curatorem ut stet liti.

Publicis operibus : Quia operibus datur curator, ut compleantur.

Cum idonea cautione : Quia quandoque tenetur cavere cum fidejussoribus.

Semperque juratoria præstanda : Quia curator tenetur jurare utilia facere, & inutilia evitare.

Curatores esse possunt illi, qui curatores dativi esse possunt, non autem testamentarii.

Excusatur curator à cura eisdem modis, quibus tutor à tutela.

§. VII.

De Manumissoria.

MANUMISSOR est = Cui, vel ex dispositione legis, vel testatoris, vel iudicis data est facultas exequendi testatoris voluntatem.

Manumissores alii sunt = Testamentarii, = alii legitimi, = alii dativi.

Testamentarii sunt = Qui eis deputatur exequenda ultima voluntas, & isti sunt dupliciter; quidam particulares, & quidam universales.

Particulares sunt = Quando exequutio alicujus rei eis tribuitur, dato, nominato, & constituto hærede.

Isti manumissores vicem hæredis non sustinent, & tali casu meri exequutores dicuntur, & nequeunt movere actiones contra hæredes, debitores hæreditatis convenire.

Universales sunt = Quando testator nullos scripsit hæredes in specie; sed Dominum Deum, & animam testatoris, seu pauperes Christi hæredes instituit, vel aliquem locum pium, vel jussit universa bona sua vendere, seu distribuere pauperibus per ejus manumissores, qui hoc casu habent nomen hæredis, & exercent actiones activas, & passivas.

Legitimi sunt = Quibus à lege tribuitur potestas ultimæ voluntatis defendendæ, quales sunt omnes boni Magistratus, Episcopi, & Metropolitanus.

Dativi sunt = Qui, mortuis manumissoribus testamentariis, subrogantur ab Episcopo, vel Pratore.

Officium manumissoris est.

1. Ut munus sui officii, aut sponte, vel ex mandato suscipiat: 2. Debet cautiones offerre, quo securius agere, ac conveniri possit. Hoc tamen in testamentariis non

servatur: 3. Debet in inventario singula conscribi facere: 4. Debet collegas, seu commissarios, si qui sunt, convocare, & cum illis de re gerenda deliberate consulere: 5. Debet debitores excitare, ac exigere: 6. Legatarios, aliosque defendere: 7. Hæredes, ac legatarios in possessionem ex ordine inducere; si tamen sunt manumissores fiduciarii: 8. Defuncti bona vendere, & commutare: 9. Distribuire: 10. Villicationis suæ rationem reddere.

Manumissores esse possunt omnes, quibus non est prohibitum.

Manumissores esse non possunt.

Monachus, vel Religiosus, nisi licentia Superioris impetrata, = pupilli, = furiosi, = mentecapti, & similes; tamen si minor est ætatis decem septem annorum, bene potest esse manumissor testamentorum, & piarum causarum.

Mulier, licet à virilibus repellatur, tamen ad manumissoriam, & exequutionem testamentariam admittitur.

Clericus etiam potest esse manumissor, nedum ad pias causas, sed etiam ad non pias.

Nemo cogitur officium manumissoris suscipere: Fallit tamen: 1. Si expresse acceptasset: 2. Si acceptavit legatum: 3. Si unum legatum solvit, vel aliàs pro hærede gessit: 4. Si esset consanguineus conjunctus ipsi testatori: 5. Si acceptavit litteras testatoris, vel hæredis, aut alterius requirentis eum super dicta exequutione: 6. Quando scripsit sibi aliquid in testamento, & consensit: 7. Quando constitutus exequutor in testamento fuit præsens, & tacuit: 8. Si creatus, vel constitutus sit per Episcopum, vel præsidem: 9. Quando urget necessitas exequendi testamentum ad pia adimplenda.

Excusatur quis ab officio manumissoris eisdem rationibus, quibus tutor à tutela, & curator à cura.

Si plures sunt manumissores electi, omnes simul debent interesse ad testatoris voluntatem exequendam: Fallit tamen: 1. Si omnes constituent unum, qui aget nomine omnium: 2. Quando testator disposuit quod alter sine altero possit procedere: 3. Quando cæteri manumissores commode vocari non possunt: 4. Quando ex pluribus unus decessit: 5. Quando aliquis cum legitima causa muneris officium acceptare noluerit: 6. Quando unus acceptavit, & post renuit: 7. Quando unus vellet, sed non potest, aliqua causa impeditus: 8. Quando unus alteri suas vices commisisset, & esset res, quæ industriam personæ non exigeret.

Duo exequutores, ex quatuor electis per testatorem, habent potestatem exequendi, duobus mortuis, licet testator mandasset omnes exequi, aut illorum majorem partem.

s. VI.

De Inventario.

INVENTARIUM est = Bonorum omnium publice facta descriptio à tutore, vel curatore, vel ab hærede confectum, solemnitate juris debita concurrente.

EXPOSITIO.

Omnium bonorum: Quia omnes res debent in inventario describi, mobiles, & immobiles, jura, & actiones, tum quæ ipsius defuncti erant, tum etiam alienæ, in hæreditate tamen inventæ.

Publice facta descriptio: Quia omnia bona debent in inventario à publica persona, idest Notario, describi.

A tutore: Nam tutor tenetur facere inventarium, sive sit testamentarius, sive legitimus, sive dativus.

Si testator tutori testamentario remiserit onus inventarii, quod facere potest, tunc non tenetur.

Vel curatore: Quia curator interdum cogitur facere inventarium, ut quando datus est generaliter ad negotia, vel bonis absentis, & indefensi, aut ventri.

Vel ab hærede: Quia aliquando cogitur inventarium facere, ut quando est rogatus hæreditatem alteri restituere, & quando vult consequi beneficia elargita conficientibus inventarium.

Solemnitate juris debita concurrente: Quia multæ solemnitates in inventario poni debent de jure communi; sed hodie fit secundum morem regionis, servatis solemnitatibus loci ubi conficitur.

Vidua etiam tenetur inventarium conficere, sive sit usufructuaria relicta, sive sit tenentaria.

Tenentur tutores continuare clare, & distincte omnia bona in descriptione, non autem generice, & confuse, cum sit caput, & principium redditionis rationum.

Tenetur tutor finita tutela omnia bona in inventario descripta reddere, vel quid factum fuerit de illis docere.

Inventarium factum à tutore pro suceptione tutelæ non jubat ad effectum adeundi hæreditatem cum beneficio inventarii; sed requiritur aliud novum inventarium.

Si tamen fuerit factum, præcedente aditione, & vocatum fuerit à conficientibus inventarium nomine pupillorum, & habuerit effectum inventarii, prodest pupillis, ut videantur hæredes cum beneficio inventarii.

Tutor inventarium non conficiens potest tamquam suspectus removeri, & petere non potest legatum, & creditum, si quod habet in bonis pupilli.

Hæres non conficiens inventarium præsumitur in dolo, & bona occultasse.

Hæres conficiens legitime inventarium non tenetur legatariis, & creditoribus ultra vires hæreditarias; nec quartam trebellianicam, & falcidiam perdit, quæ omnia perdit, & ultra dictas vires tenetur non conficendo inventarium.

Ecclesia hæres instituta tenetur conficere inventarium, etiam in foro canonico, & contentioso, aliàs tenetur ultra vires hæreditarias quo ad creditores, non vero quo ad legatarios, quando testator mandavit satisfacere legata de bonis suis.

Fideicommissarius universalis tenetur inventarium conficere, nec potest uti inventario per hæredem confectum, nisi fuerit sibi cessum per hæredem.

Si primus gravatus non fecerit inventarium, substitutus tenetur illud conficere, si vult gaudere beneficio inventarii.

Vidua relicta universaliter usufructuaria à viro suo tenetur inventarium conficere, & cogitur ad instantiam proprietarii illud facere.

Etiam si vult gaudere privilegio tenetæ legalis, tenetur inventarium conficere.

Vidua hæres instituta tenetur inventarium conficere infra triginta dies, & finire infra alios triginta, si bona sunt præsentia; si autem tota hæreditas, vel illius major pars in alia Provincia exiterit, unius anni spatium ad inventarii conscriptionem habet.

Et quamvis intra priores triginta dies non inchoetur, & tamen finiatur intra reliquum temporis, non vitatur, neque privatur beneficio inventarii.

Vidua legitime inventarium conficiens gaudet in hoc Principatu beneficio constitutionis *Hac nostra*, cujus vigo-

vigore, mortuo viro, anno luctus debentur ab hæredibus viri alimenta præstare secundum qualitatem, & conditionem personæ mariti, sed etiam post annum luctus, & si ei dos soluta non sit, facit suos fructus omnium bonorum mariti, donec ei integra dos, & sponsalitium sit solutum.

Si vidua inventarium non conficeret intra dictum tempus post mortem mariti, privatur sibi victu, & vestitu sibi dando anno luctus, & commodo faciendi fructus suos bonorum mariti, quamquam habeat in capitulis matrimonialibus pactum de faciendi fructus suos.

Si vidua inventarium non fecit, vel omissit ejus confectionem, & est minor, potest restitui in integrum, & evitabit pœnas legales.

Si vidua impedita fuerit inventarium conficere excusatur, si protesta fuerit de impedimento, quæ protestatio ita fieri debet. Vidua conferat se cum Notario, & testibus in domum mariti, si ab ea abiit, ad inventarium conficiendum, & si hæres ipsam impediat, de eodem impedimento protestet, & per Notarium confici faciat instrumentum, ut constet de diligentis, & protestatione, & sic nullas incurrit pœnas, & fruatur prædictis beneficiis, ac si inventarium conficeret.

Tempus conficiendi inventarium ab hærede, & ab aliis non est definitum à jure; sed in hac Provincia Cathalonix, & per communem practicam intra triginta dies est incipiendum, & intra sexaginta amplius est perficiendum, quod tempus currit à die adita hæreditate, & non à die delata.

De Aditione Hæreditatis.

ADIRE est = Hæreditatem sibi à patre in testamento, vel ab intestato delatam, velle habere.

IMMISCERE est = Hæreditatem ab extraneo delatam velle habere.

Hæreditas debet in totum adiri, & non in partem, ne quis decedat pro parte cum hærede, & pro parte sine hærede.

Ut possit hæreditas adiri septem requiruntur.

1. Quod adire volens sit homo liber, & sui juris :
 2. Compos mentis, & habens intellectum : 3. Quod sit major : 4. Quod sciat mortem illius, cui intendit succedere, & sic se esse hæredem, & hæreditatem sibi delatam : 5. Quod testamentum sit validum, si prætenditur ex testamento, vel sit proximior, si ab intestato : 6. Sciat eum, an veniat ex testamento, vel ab intestato : 7. Ut sit pure, & non sub conditione delata, quia ante eventum conditionis non potest adire.

Filius possidens bona patris, & fructus percipiens, præsumitur adire hæreditatem.

Aditio hæreditatis non induitur in consorte possidente bona, in quibus habet ratam pro indiviso.

Neque induitur ex compromisso inter cohæredes super eorum prætensionibus.

Aditio facta ex falsa causa est nulla, ac si nunquam fuisset facta.

Hæres potest usque ad triginta annos adire hæreditatem, nisi ad instantiam creditorum fuerit sibi breve tempus assignatum.

Potest hæres cogi per fideicommissarium universalem ad adeundam hæreditatem, & sibi restituendam,

quo casu detrahit trebellianicam, si fuerit compulsus infra tempus deliberandi.

Probatur aditio hæreditatis per verba enuntiativa Notarii, quando in instrumento aliquem nominat hæredem, dummodo tamen sic nominatus sit præsens; quia tunc dicuntur verba partis, & non Notarii, secus autem si est absens.

Etiam probatur per solutionem mercedis medicorum, & medicinalium pro ægrotatione defuncti.

Faciens expensas funeris non dicitur hæreditatem adire.

Aditio hæreditatis potest induci solo animo, quibusvis verbis declarato.

Inducitur ex retentione mobilium, quæ defunctus habebat tempore mortis, & de illis non facto inventario.

Inducitur etiam per oblationem solvendi de bonis hæreditariis, & per solutionem debiti hæreditarii, & pluribus aliis modis.

Monasterium potest adire hæreditatem, vel legatum Monacho delatam, vel factum absque ejus ministerio; quia dicitur Monasterio delata, vel factum ipso jure, cum quidquid Monachus acquirat, Monasterio acquiritur.

Hæreditas potest adiri à muliere, vel minore, sine solemnitatibus requisitis in eorum contractibus, dummodo fiat cum beneficio inventarii.

Hæres potest sponte sua adire hæreditatem, nisi sit filius familias, quia tunc requiritur licentia patris, qui tamen si nolit, vel non potest consentire, potest filius per se adire, ac sibi emolumenta acquirere.

Hæreditas infanti delata potest per patrem nomine infantis adiri.

Pater retinendo dotem maternam dicitur nomine infantis hæreditatem adire.

Tutor nomine infantis potest hæreditatem adire, cum tamen solemnitatibus.

Minor extra tutelam non tenetur adire cum auctoritate curatoris, sed solus adit; quia aditio in animo consistit.

Mater non potest adire hæreditatem pupilli sine ipsius consensu.

Hæreditas postquam fuit adita, non amplius dicitur hæreditas, sed proprium patrimonium adeuntis.

Hæreditas semel repudiata amplius adire non potest: Fallit tamen in filio, qui licet repudiaverit hæreditatem paternam, ex speciali privilegio, re integra stante, intra annum potest pænitere, & repudiatam capere cum beneficio inventarii.

s. X.

De Transmissione.

TRANSMISSIO est = Jus adeundæ hæreditatis, quod moriens habebat, & ante aditam hæreditatem transfundit in suos hæredes.

Vel est quædam prorogatio successionis ejusdem formæ, & naturæ.

Nulla tamen transmissio fieri potest, si institutus moriatur ante testatorem; quia tunc institutio fit caduca, quod jus est personalissimum, & antequam fuerit delata, cedi, transferri, nec in alios transmitti non potest.

Transmissio est triplex.

1. Jure suitatis: 2. Jure sanguinis: 3. Jure deliberandi.

Suitatis est = Illa per quam sui hæredes, id est liberi obtinentes primum gradum, transmittunt ad quoscumque hæredes hæreditatem patris non aditam.

Jure sanguinis est = Illa per quam omnes liberi, etiam
non

non obtinentes gradum suavitatis, transmittunt hæreditatem ascendentium non aditam ad suos descendentes, non autem ad extraneos.

Jure deliberandi est = Per quam mortuo aliquo, adhuc durante anno à lege præscripto ad deliberandum, transmittitur hujusmodi tempus ad quoscumque hæredes, si defunctus sciverit sibi delatam hæreditatem, secus autem si ignoraverit.

Pro hujusmodi transmissione tria requiruntur, nempe.

1. Quod transmittens sciat sibi delatam hæreditatem:
2. Quod decedat intra annum: 3. Quod prætendens transmissionem adeat intra residuum dicti anni.

Transmissio locum habet ad favorem patris, non autem aliorum, quando moritur filius infans ante aditam hæreditatem sibi delatam, nam illa transmittit ad patrem.

Cessat transmissio quando moriens, cui delata erat hæreditas, erat incapax successionis, vel repudiavit; quia nemo transmittit quod non habet, nec id quod noluit acquirere.

§. XI.

De Abstinentia, & Repudiatione.

REPUDIATIO est = Actus per quem quis non vult acquirere in iis, quæ pendent à sola voluntate repudiantis.

ABSTINERE est = Hæreditatem sibi à patre ab intestato, vel ex testamento delatam, nolle habere.

REPUDIARE vero est = Hæreditatem ab extraneo delatam nolle habere.

Extranei quo ad hæc vocantur omnes qui non sunt in potestate testatoris tempore istius mortis.

Hæreditas potest dupliciter repudiari: Expresse scilicet eam refutando, = & tacite per lapsum temporis non adeundo,

Videtur hæreditas repudiata per verba illa: *nolo adire*, vel *nolo esse hæres*.

Hæres potest repudiare hæreditatem, etiam si sit filius, & non potest molestari.

Qui non potest alienare, non potest repudiare, & in repudiatione requiritur scientia repudiantis.

Repudiatio non potest fieri per procuratorem.

Filius potest se abstinere ab hæreditate paterna, & emphyteusim, feudum antiquum, & jus patronatus retinere tamquam filius, & non tamquam hæres, & non tenebitur creditoribus hæreditatis.

Si emphyteusis fuit simpliciter concessa patri pro se, & filiis suis, filius hæres à patre institutus potest hæreditatem paternam repudiare, & emphyteusim retinere, cum ad eam non veniat tamquam hæres, sed ex pacto, & providentia.

Filius non potest repudiare hæreditatem paternam, & legitimam, & legatum retinere; quia non potest adire partem hæreditatis, quando est tota delata; tamen si filius succederet ab intestato, cum legitima sit quota bonorum, & non relinquatur jure institutionis, isto casu repudiata hæreditate non perdit legitimam.

Filius potest abstinere ab hæreditate paterna, & retinere legatum sibi factum, cum non impugnetur iudicium testatoris ab eo, qui justis rationibus noluit negotiis hæreditariis implicari.

Filius familias potest repudiare hæreditatem sibi delatam cum patris consensu; tamen potest agnosci à patre, cum filius non possit patri præjudicare repudiando, & ideo vivente filio pater habet facultatem pro se agnoscendi, secus filio mortuo.

Nam hæreditas dicitur delata filio familias principaliter, & illo mediante acquiritur patri, quando est

profectitia, idest ab ascendentibus paternis, vel ab aliis contemplatione patris relicta; quando est adventitia acquiritur in totum filio, quo ad proprietatem, quo ad usumfructum patri, ejus vita durante.

Filius, licet ex omni causa testati, & intestati repudiaverit hæreditatem paternam, potest ex speciali privilegio, re integra stante, intra triennium pœnitere, & repudiatam hæreditatem capere cum beneficio legis, & inventarii, ratione tamen suitatis; nam si esset emancipatus, vel ageretur de hæreditate materna, habet solum annum ad pœnitendum.

Hæreditas filio delata non potest repudiari à patre sine filii consensu.

Ut valeat repudiatio filii minoris, qui præsumitur ignorasse jura, necesse est ut sit certus se esse suum hæredem necessarium, & hoc exprimat, aliàs non videret.

Spes succedendi ab intestato, vivente testatore, repudiari non potest; quia non est in rerum natura.

Hæres non potest repudiare hæreditatem, ut illam possideat ab intestato in fraudem legatariorum.

Jus primogenituræ semel acquisitum potest renuntiari, & repudiari, maxime ubi non sunt descendentes, in quorum præjudicium posset recte dubitari an valeat renuntiatio.

Legatarius non potest dividere legatum, & illud pro parte acceptare, & pro parte repudiare, quamvis esset divisum in plures præstationes, nisi esset relictum pro diviso, vel nisi essent plures res separatæ; quia tunc potest unam acceptare, & aliam repudiare.

Legatarius universalis, & particularis non potest legatum universale repudiare, & particulare acceptare.

Legatarius, cui plura sunt facta legata separatim

in diversa oratione, potest unum repudiare ratione oneris adjuncti, cætera vero libere consequi, & retinere.

Potest quis acceptare prælegatum sibi factum, & repudiare institutionem factam in toto, vel in quota.

Frater suferens alium fratrem totam hæreditatem possidere, non videtur repudiare, nisi lapsi fuerint triginta anni.

Mulier sine consensu consanguineorum potest repudiare hæreditatem, nondum agnitam, tenet quis, aliquis autem tenet, quod cum ex repudiatione adsit læsio, quia saltem amittitur jus acquirendi, requiritur consensus viri, vel consanguineorum, quia repudiatio est actus voluntarie gestus, in quo sunt necessariæ solemnitates.

Abbas, vel Abbatisa, licet non possint alienare bona Monasterii absque interventu ipsius Monasterii, possunt tamen soli absque consensu illius hæreditatem, legatum, vel donationem, tamquam jus quærendum, & non quæsitum, repudiare sine solemnitatibus.

Monasterium potest repudiare hæreditatem absque beneplacito apostolico, & sine solemnitatibus, cum agatur de jure quærendo, etiam si hæreditas prius fuerit adita ex errore, & falsa causa, quo casu aditio habetur pro non facta.

Hæreditas delata, vel legatum potest repudiari à debitore in præjudicium creditorum chirografariorum, non autem habentium hypothecam.

Furiosus, quandocumque ad sanam mentem rediens, potest ad libitum accipere, vel repudiare hæreditatem, quam ipsius curator adiit.

Fideicommissa conditionalia nondum purificata possunt repudiari, maxime cum juramento, itaut amplius ad illa non detur regressus; & cum agatur de jure
quæ-

quarando cum conditione, & non de jure quasito, non est necessaria insinuatio.

Tamen dicta repudiatio, seu renunciatio non afficit filios repudiantis, ex propria persona vocatos, quando non sunt illius hæredes, ita quod purificato fideicommisso in eorum favorem, vivente patre qui renunciavit, petere, & obtinere possunt.

Hæreditas semel adita repudiari non potest, nisi fuerit facta aditio ex defectu consensus, & falsa causa.

Semel facta repudiatione non potest fieri acquisitio rei repudiatæ, quia ipso jure resolvitur postquam repudiatur: Fallit tamen in filio, ut dictum est in aditione.

§. XII.

De Procuratore.

PROCURATOR est = Ille qui negotia aliena, mandato sibi à domino facto gratuito, gerenda suscipit.

Ille: Quia mulier procuratrix regulariter esse non potest, & præcipue ad lites.

Qui negotia aliena: Quia nemo rem suam propriam ut procurator defendere potest, sed tamquam principalis.

Mandato: Nam si non haberet mandatum, non posset agere tamquam procurator, sed tamquam negotiorum gestor.

Sibi, non alteri: Nam si diceret alteri: volo quod talis sit meus procurator, non propterea esset talis.

A domino: Nam si dominus non constitueret eum, non valeret.

Gratis: Nam si non est gratuitum, non dicitur mandatum, sed si intervenit pecunia numerata, est locatio; si vero alia res, est contractus innominatus.

Gerenda suscepta: Quia si non suscepisset mandatum à domino sponte, non cogeretur adimplere, nam mandatum suscipere cuilibet liberum est; susceptum autem est consummandum.

Œconomus est = Ille cui commendata est administratio, seu gubernium rerum Ecclesiæ.

Sindicus autem proprie dicitur: Ille qui defendit civitatem, vel collegium.

Actor vero: Qui constitutus est per universitatem.

Differentia inter Procuratorem, Œconomum, Syndicum, & Actorem est: 1. Quod procurator non jurat de calumnia, si non est constitutus in rem propriam, cæteri vero sic: 2. Constituitur à domino suo proprietario, alii vero non: 3. Quia procurator constituitur absque iudice, cæteri vero non: 4. Quia procurator constituitur pro actu certo, & determinato, cæteri vero ad omnia, sicut tutores: 5. Quia procuratoris officium finitur certis modis, ut infra videbitur, cæterorum vero non cum eisdem: 6. Quia procurator potest esse laicus, œconomus vero ecclesiasticus.

Procuratores constituere possunt omnes qui à lege non est prohibitum, & possunt de rebus suis contrahere, & se obligare, sicque qui non possunt contrahere, & se obligare, neque procuratores constituere, dempto minore ad contrahendum matrimonium. Notarius potest conficere instrumentum procuræ pro se ipso in causa propria.

Adultus ipse solus ad sua negotia potest procuratorem constituere, si non habet curatorem, si autem habet cum istius auctoritate, ad causas autem non potest procuratorem constituere, sed curatorem.

Œconomus non potest procuratorem constituere ante litem contestam.

Possunt esse procuratores omnes quibus à lege non est prohibitum, & major viginti quinque annorum ad causas.

Non possunt esse procuratores furiosus, mutus, surdus, mentecaptus, prodigus, excommunicatus, servus, hæreticus, apostata, committens crimen læsæ majestatis, nec miles, quia debet armis intendere, nec foemina ad causas.

Monachus neque potest esse procurator ad nonnullos actus, & ab eo gesti sunt nulli.

Clericus non potest esse procurator, nec ad lites, neque ad alios actus, etiam titulo pietatis, nisi sint communitatis suæ Ecclesiæ.

Pariter minor viginti quinque annorum ad judicia non potest esse procurator, bene vero ad alia negotia si est major decem septem annorum.

Constituitur unus, & plures, præsens, & absens, si præsens dicitur præsentem, si absens dicitur absentem.

Officium procuratoris est exequutioni mandare quidquid in mandato plenius continetur, vel tempestive renuntiare; ad causas vero est facere quæ requiruntur in causa, vel causis.

Clausula posita in mandato: *cum libera, & generali administratione, vel cum potestate exercendi omnia, quæ ipse mandans potest, operatur quod procurator possit omnia facere, sicut principalis, circa tamen expressa, & in exequutionem voluntatis mandantis, & non alias.*

Mandatum vero generale ad omnes causas, coram aliis judicibus, intelligitur de causis motis, vel movendis contra eum, cujus nomen in mandato fuit expressum, non autem contra alios.

Mandatum, quantumvis generale sit, non comprehendit negotia procuratoris cum domino constituyente, etiam

si alium substituerit vigore facultatis sibi concessæ, ut cum eo contraheret.

Mandatum factum duobus, vel pluribus, etiam cum libera, & generali administratione, non continet clausulam insolidum; ideo, nisi contrarium sit expressum, unus sine alio agere non poterit, quia in mandatis clausulæ quæcumque non extenduntur ultra expressa.

Clausula *ad faciendum utilia, & opportuna*, posita in mandato, etiam cum promissione de rato habendo quidquid legitime factum fuerit, est captiosa, & non admittenda, cum constituens teneatur simpliciter stare facto sui procuratoris, & non conditionaliter, *si utilia fecerit, vel legitime peregerit*, aliàs possit de facili iudicium reddi elusorium.

Vigore dictæ clausulæ: *cum libera, &c.* procurator non potest donare, dilapidare, remittere jura domini, vel delinquendo eum obligare.

Licet fiat mandatum cum dicta clausula: *cum libera, &c. ad regendum, gubernandum, administrandum*, non sufficit, sed speciale requiritur in multis casibus, & fere ad omnes contractus faciendos.

Mandatum factum ad exigendum non comprehendit credita futura, idest post illud contracta, & acquisita, & solutio facta tali procuratori non liberat solventem, nisi dictum fuerit: *mibi debita, & in posterum debenda, vel quæ mihi debebuntur.*

Mandatum restrictum ad recipiendum non dicitur impletum per confessionem de recepto, quæ tali casu domino non præjudicat, cum dictum mandatum non extendatur ad confitendum de recepto, nisi hoc etiam expressum sit.

Licet procurator non habeat mandatum ad recipiendum, seu exigendum, potest tamen solutionem recipere

re ex contractu per eum cum speciali mandato, cum alteri celebrato, & iste liberabitur.

Mandatum factum ad vendendum non extenditur ad bona futura.

Mandatum factum ab administratore finitur finita administratione, etiam re non integra.

Expirat mandatum per constitutionem alterius procuratoris, & primus censetur revocatus, nisi in novo mandato apponatur clausula, sine revocatione aliorum procuratorum hucusque constitutorum.

Mandatum substituti non expirat per mortem substituentis, dummodo principalis vivat.

Si mandatum est incertum in instrumento à procuratore firmato, probat habere mandatum, aliàs secus.

Procurator ex mandato ad negotia non potest obligare dominum ad sui favorem.

Procurator constitutus ad certam causam contra N. non habet mandatum contra alios, licet adesset clausula generalis ad omnes lites, cum restringatur ad expressas.

Procurator cum facultate substituendi ante mandatum, tacite, vel expresse acceptatum, non potest alium substituere, cum adhuc non sit procurator; postquam vero alium substituit, non remanet amplius procurator, nisi ex forma mandati aliud appareat, nec potest sine alio speciali mandato substitutum revocare, nisi in mandato sit dictum: *Cum posse substituendi, & substitutos revocandi*, & cum substitutus dicitur à principali constitutus, potest causam agere mortuo substituentē.

Hypotheca inducitur à jure in bonis procuratorum pro male gestis, illorumque fidejussorum, actorumque datorum ab ipsis principalibus; secus autem si hujusmodi mandatores essent dati à judice, & ortum habet à die quo incipit exercitium hujusmodi muneris.

Procurator dolose, & mendaciter pecunias, vel alias res domini privati, eo invito, vel ignorante, in proprios usus convertens, committit furtum.

§. XIII.

De Administratore.

ADMINISTRATOR est = Qui bona aliena administrat, regit, & gubernat, & sicut non datur procurator in re propria, ita neque administrator.

Administrator quicumque sit differt à procuratore, quia ille eligitur ad omnia, & semel electus quæcumque facere potest, utilia tamen, & necessaria; iste vero pro unoquoque actu agendo indiget speciali mandato, quamquam sit constitutus cum libera, & generali administratione.

Administratores omnes tenentur reddere rationem, quæ actio contra eorum hæredes exigitur, nisi fuerit dilata culpa petentis, cujus actio spatio triginta annorum præscribitur.

Administrator si sit creditor illius, cujus bona administrat, præsumitur sibi solvisse quando non fecit inventarium, nec alia solemnia, ex cujus omissione præsumitur habere animum fraudandi.

Tamen ut præsumatur sibi solvisse de bonis administratis necesse est reddere rationem, ex qua apparebit an vere sit creditor, vel debitor.

Administrator præsumitur recte administrasse, nisi aliud ex rationis redditione appareat.

Si est in universitate tenetur conficere librum rationum, cum expressione diei scribere data, & recepta, aliàs non creditur ejus assertioni, & tenetur facere inventarium, & dictos libros custodire donec ratio reddita sit.

Non potest conveniri, neque exequutari ut debitor alicujus summæ pro administratione, nisi prius computa solidata sint, cum aliàs scire non possit an debitor, vel creditor sit.

Administrator ratione administrationis sortitur forum in loco in quo administrat, & ibi conveniri debet.

Administrator dolose, & mendaciter convertens pecunias domini privati, eo invito, vel ignorante, in proprios usus, committit furtum.

Administrator negotians pecunias domini nequit sibi acquirere, & maxime si erat obligatus cum illa emere prædia, immo tenetur lucrum dare domino quando nulla personalis industria admixta fuit.

Agens ut administrator, sciente, & patiente domino, censetur per electionem, & patientiam approbatus, illumque obligat contrahendum, etiam si postea convertat in suos usus, ne contrahens cum eo contemplatione domini decipiatur.

Omnes administratores tenentur de dolo, lata, & levi culpa, quibus prohibitum est emere bona illius cujus administrant, & acquirere jura, & actiones contra eundem.

s. XIV.

De Electione.

ELECTIO est = Alicujus personæ idoneæ ad aliquam dignitatem, seu paternam charitatem, servata forma canonica, facta vocatio.

Est facienda electio quando Ecclesia vacat Pastore in loco honesto, consueto, & determinato, aliàs est nulla, nisi causa subesset.

Si Ecclesia est Parochialis, tunc patronus, si habet,
de-

debet eligere Parochum; si non habet, vicini eligere debent, & omnes patroni consentire debent.

Si est conventualis omnes de conventu, & collegium debent eligere Prælatum suum, nisi aliud sit de consuetudine, vel privilegio, quæ consuetudo est servanda.

Regulariter in omni materia, & præcipue beneficiaria, est facienda, per eos ad quos spectat, de digniori, nec potest fieri de digno, & multo minus de indigno, omisso digniore.

Habens electionem illam amittit indignum eligendo.

Eligens potest per procuratorem intervenire cum speciali mandato, dummodo deputatus, seu procurator sit de corpore.

Electio fit per collegium ad dignitates, & Papa confirmat.

Collatio fit ad Beneficium simplex, & pertinet de jure communi ad Episcopum per totam Diocesim.

Præsentatio pertinet ad patronum, nec dat plenum posse præsentato, sed requiritur institutio, & investitura.

Eligi debent illi qui sunt in sacris ordinibus constituti, non infantes, impuberes, turpitudine notati, infames, excommunicati, seu suspensi.

Abbatissa est eligenda, in cujus electione potest Episcopus, una cum Commissario suo, aut Secretario, aut alio ab eo assumpto, vota omnium Monialium ore tenus expresse audire.

Abbas à principio eligitur de jure antiquo, & juxta canones est nomen potius sollicitudinis, & curæ, quam honoris; hodie tamen est nomen honoris, & dignitatis, licet non ordinis.

Electio fit tribus modis.

1. Per inspirationem Spiritus Sancti, in qua tria requi-

quiruntur : 1. Quod nulla præcedat nominatio : 2. Nullus tractatus : 3. Quod omnes consentiant.

2. Per viam compromissi, ut in aliquibus ad quos spectat electio.

3. Per viam scrutinii, servato sacramento præstito, postea debet fieri computatio de merito ad meritum, numero ad numerum, zelo ad zelum, in qua est semper servanda consuetudo, & pacta, & publicata non potest revocari.

Si facta, & publicata non habuerit effectum, potest iterum fieri, quia non aufertur facultas iterum eligendi.

Facta electione, vel nominatione ab eo, cui competit facultas eligendi, non potest pœnitere, quia primo electo jam est jus quæsitum, quando nominatio jure alieno facta fuit potest pœnitere, quando electio fit ultima voluntate, sive competat ex contractu, sive ex testamento.

Juratorum, decurionum, & aliorum laicorum universitatis officialium electio ad ipsam universitatem, totum populum, & concilium generale pertinet, hodie tamen dicta officia bajulorum, & decurionum non ita fit, sed terna scribitur, superiori præsentatur, à quo fit electio.

In alternativis judicialiter electio est debitoris.

Electio mala eligenti imputari debet, si ex ea aliquid mali, vel damni accidat.

PARS SECUNDA.

CAP. UNIC.

DE ULTIMIS VOLUNTATIBUS.

Tres sunt species ultimarum voluntatum, nempe testamentum, = codicillus, = & donatio causa mortis. Alia est species, scilicet = epistola, quæ cum hodie non sit in usu, omittitur.

s. I.

De Testamento.

TESTAMENTUM dicitur mentis testatio, & est = Voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult, cum hæredis institutione.

EXPOSITIO.

Voluntatis nostræ: Idest libere, & non coacte; quia testamentum ex libero testantis arbitrio procedere debet.

Justa sententia: Idest justa, legitima, vel cum solemnitatibus requisitis.

De eo: Idest de universo patrimonio; quia testator de toto disponere debet, nam nemo pro parte testatus, & pro parte intestatus decedere potest.

Quod quis: Idest testator, aut testatrix; quia tam masculus, quam fœmina testari possunt.

Post mortem: Quia testamentum solum habet vires testatoris morte sequuta, in tantum quod si testator vellet quod incontinenti facto testamento hæres caperet bona non valeret, quia ambulatoria est hominum voluntas usque ad extremum vitæ.

Suam, & non alienam: Nam testamentum non po-

test habere vires post mortem alterius, sed tantum testatoris.

Et ideo Notarius non potest alicui tradere testamentum autenticum vivo testatore, eo quod vires adhuc non habet, maxime si est in scriptis, nisi sit ipsi testatori, de cuius morte quo ad alios debet cerciorari antequam edat, & facta editione præsumitur mortuus.

Fieri vult: Quia testamentum præter hæredis institutionem potest continere, nedum electionem sepulturæ, & missarum, sed etiam legata, tam pia, quam profana, necnon providentias.

Cum hæredis institutione: Quia sine ea non valet; est enim hæredis institutio caput testamenti.

Testamentum est duplex.

Militare unum, quod fit à militibus, dum in castris, & in expeditione degent, & non requirit juris solemnitates, sed quoquo modo factum valet, dummodo constet de voluntate; quando domo est reversus non potest testari, nisi secundum jus commune.

Aliud est paganicum, quod fit in domo extra militiam per quoscumque, & est triplex: = aliud solemne, vel in scriptis, = & aliud nuncupativum, aliud sine ulla scriptura.

Solemne dicitur: Quando testator suam ultimam voluntatem per scripturam exprimit, adhibitis testibus, qui hujusmodi scripturam subscribant, sigilla apponant, licet tenorem ignorent, quia necesse non est ut sciant.

In hujusmodi testamenti confectione plures requiruntur solemnitates: 1. Quod testator habeat testamenti factionem activam: 2. Expressis verbis instituat hæredem: 3. Voluntatem suam redigat in scriptis: 4. Adhibeat septem testes scribere scientes: 5. Ostendat illam

scrip-

scripturam testibus, quibus dicat in ea suam ultimam voluntatem contineri, sive suum esse testamentum: 6. Quod dicti testes sint ad hoc specialiter rogati: 7. Quod dicti testes sint liberi homines masculi: 8. Quod singuli se subscribant: 9. Propriis, si habent, sin autem alienis signent sigillis: 10. Quod omnes sint in præsentia testatoris, illumque videant: 11. Quod ipse testator se subscribat, si literatus sit, sin autem adeat octavum testem qui pro eo scribat: 12. Quod prædicta omnia fiant unico contextu, in eodem loco, excepta scriptura testamenti, quæ potest antea fieri.

In Civitate Barcinone solemnitates prædictæ non servantur, sed sufficit quod testator, si literatus est, subscribat scripturam, & si non, faciat per alium scripturam scribere, & in traditione testamenti Notario sufficiunt duo testes, qui cum testatore scribere sciente firment, & si literarum est ignarus, sufficit quod alter testium pro eo subscribat.

Testamentum quod testator voluit solemniter facere, si non valet eo modo propter defectum solemnitatis, sustinetur tamquam nuncupativum, si debita illa requisita concurrunt, quamquam testes ignorent nomen hæredis.

Aliud est testamentum nuncupativum, quod fit cum scriptura, adhibito Notario, qui redigat testamentum de dicta voluntate coram testibus declarata, in quo in Civitate Barcinone tantum duo testes sufficiunt.

Aliud est testamentum sine ulla scriptura: Quando testator, non adhibito Notario, coram septem testibus, ad id specialiter rogatis, suam simpliciter exprimit ultimam voluntatem, ac hæredem palam dictis testibus audientibus nominat, qui postea quandocumque coram iudice deponunt, & acta ad perpetuam registre-

tur memoriam, quod testamentum sacramentale dicitur.

Omne testamentum est de sui natura revocabile, nec potest aliqua obligatione, vel conventionem effici irrevocabile; sed bene vero in aliquam particularem dispositionem potest effici irrevocabile.

Testamentum primum revocatur per secundum, etiam si testator jurasset aliud non facere, etiamsi primum sit factum favore filiorum, vel causæ piæ, dummodo secundum sit in se validum, licet minus solemne quam primum, hoc est quando non interveniant tot solemnitates quod in primo.

Secus autem est si est nullum per præteritionem filiorum, vel alias causas, vel primum habeat clausulam derogatoriam, quo casu de ea est facienda expressa mentio in secundo.

Ordo in ultimis voluntatibus conscribendis observatur.

1. Proæmium, seu præfatio: 2. Legata pia, postea profana: 3. Hæredis institutio: 4. Substitutiones: 5. Reliquæ testatoris dispositiones, nempe providentiæ: 6. Clausula generalis, codicillaris, sive finalis.

Proæmium ponitur propter personam testatoris declarandam, & ejus mentis sobrietatem denotandam.

In eodem proæmio fit electio manumissorum, qui esse possunt omnes, qui à lege non prohibentur.

Manumissores eligi possunt.

Monachus cum sui Superioris licentia: = Clericus, licet à quampluribus oneribus privetur, tamen potest esse manumissor, etiam cum alio, nedum clerico, sed etiam laico: = Mulier, licet à virilibus privetur, tamen ad manumissoriam, & exequutionem testamentariam admittitur: = Minor viginti quinque annorum, si est major quatuordecim dubitatur an possit, vel non esse

manumissor, ea ratione quia rei alienæ administratio-
nem habere nequit, qui in suis eget alterius auxi-
lio.

Tamen si minor habet ætatem decem septem anno-
rum bene potest esse manumissor testamentarius pia-
rum causarum.

Manumissores esse non possunt = pupilli, = furiosi, =
mentecapti, & hi similes.

Eriam ponitur sepultura, quæ potest eligi à quocum-
que ubi voluerit, est enim sepultura jus sepeliendi
jure sanguinis, & transmittitur in posteros; ita quod
si quis offerat se, & bona sua Ecclesiæ, seu Monas-
terio, jus sepeliendi non transit in Ecclesiam, sed spec-
tat ad posteros.

Deinde veniunt legata pia, quia æquum est suffragia
pro defunctis offerre, cætera suo casu exprimentur.

Qui solemniter testare potest, etiam nuncupative, &
è contra, & permissum est quod à lege non est prohi-
bitum.

Prohibentur: 1. Filius familias, qui etiam patre con-
sentiente testari non potest, quia testamentum proce-
dere debet ex libero testatoris arbitrio, quo casu po-
tius procederet ex voluntate patris, quam filii, & etiam
quia filius non habet integram personam, quæ neque
patris consensu integrari potest.

Sed de castrensi, vel quasi castrensi, nedum testa-
ri potest sine patris consensu, sed etiam eo invito.

Si tamen filius familias clericus sit potest testari in-
distincte, non obstante patria potestate, de omnibus bo-
nis undecunque quæsitis, cum sola tamen differentia,
quod respectu bonorum post clericatum quæsitorum tes-
tamentum suum sortitur effectum statim morte sequu-
ta, ante vero clericatum quæsitorum effectus testamen-

ti differtur post obitum patris, cui de jure ususfructus debetur.

Ebrius continuo à mente alienus testamentum facere non potest, cum nesciat quid dicat, vel agat, si vero aliquando sit in sua mente, vel judicio, tunc testari potest.

Item prohibetur impubes, idest minor quatuordecim annorum masculus, & foemina duodecim annorum, quia non habent integrum concilium, animi judicium, & nequit in tali ætate habere filios, & tunc agnati proximiores veniunt ab intestato.

Testamentum conditum à masculo majore quatuordecim annorum, & foemina duodecim annorum, licet valeat, tamen si sit institus tutor, vel curator, non valet institutio.

Pariter prohibetur furiosus, & quicumque mente-captus quamdiu furor, aut morbus durat, nam si ad mentem redierint licite testari potest.

Si habet dilucida intervalla potest facere testamentum, & valebit, si perficiatur in sanitate, sin autem non.

Valet, sed non deest qui dicit, quod si furiosus efficitur sanæ mentis post factum testamentum non valet.

Etiam prohibetur prodigus, cui à judice interdicta est suorum bonorum administratio, qui neque inter liberos testari potest.

Si tamen illi non est interdicta administratio bene testari potest, ac si prodigus non esset.

Nec non mutus, & surdus simul à natura testari prohibetur, quia non potest, ut debet, testes ore proprio rogare, & Notarius non potest sane intelligere suam voluntatem.

Si tamen non sunt muti, & surdi à nativitate, sed ex accidenti, in duobus casibus testari possunt, uno

quan-

quando sua propria manu possunt scribere testamentum, alia vero quando veniam impetrarunt à Principe.

Si quis tamen surdus sit, & articulata voce loqui potest, potest testari, etiam si ignarus sit literarum, quia sufficit loqui, licet balbucienter, & quod possit proferre dictionem.

Cæcus, utriusque lumine privatus, testari non potest, nisi servata forma, quæ forma est sequens, scilicet.

Requiruntur septem testes, & Notarius, quod hæres instituatur cum nomine, cognomine, & denominationibus, & quod tam Notarius, quam testes subscribant.

Pariter testari prohibetur qui captivus apud hostes detinetur, quia pro servo, aut quasi reputatur. Hostes enim sunt qui Imperio Romano, aut quibus Romanum Imperium bellum decrevit. Cæteri enim latronum, aut prædonum loco habentur.

Damnatus ad mortem naturalem, vel civilem testamentum facere prohibetur, quia incontinenti lata sententia factus est servus; si tamen tantum fuerit deportatus, confiscatus, vel exbannitus testari potest, servata forma juris communis.

Tamen de consuetudine tales damnati ad mortem testantur, quando eorum bona confiscantur.

Pariter testari prohibetur condemnatus de crimine famoso, & reus perduellionis, idest reipublicæ, & læsæ majestatis.

Etiam prohibetur testari hæreticus, & ipsius receptores, defensores, & fautores, nisi habeat filios fideles, qui in eis testari potest.

Etiam prohibetur testari apostata, cui omnes alienationes, & contractus interdicti sunt, & etiam incestuosas nuptias contrahens.

Carceratus potest testari adhibendo testes idoneos, qui ibi adhiberi, & requiri possunt, & valet testamentum.

Damnatus ad perpetuos carceres, si laicus est, testari prohibetur, quia habetur pro damnato ad mortem civilem; si vero clericus sit, testari non potest si carceratur in pœnam, quæ æquiparatur morti; tamen secundum jus canonicum testari potest, quia secundum ipsam jus perpetuum carcerem clericis imponitur, non ad pœnam, sed ad pœnitentiam.

Usurarius publicus testari prohibetur, & si testatur annullatur, nisi præstita cautione per pignora, vel fidejussores de usuris restituendis.

Usurarius hæbreus testari potest, & valet ejus testamentum, quia de consuetudine servatur.

Obsides, pro captivis populi Romani dati, testari prohibentur; quia pro mortuis reputantur, etiam si sunt dati pro pace observanda, & licet capiti diminuti non sint, nihil dicuntur habere, & si quid acquirant filio acquiritur.

Monachus quilibet regularis testari prohibetur, cum ex voto à se omnium rerum proprietatem abdicatur, & nihil suum possideat, & pro mortuo habetur de jure civili, licet ex jure canonico omnes Monachi in communi ad humanos actus habiles sint.

Ante vero professionem amissam potest libere disponere de suis bonis, privative ad Monasterium ubi ingressus est.

Professione amissa non potest revocare testamentum, vel aliam dispositionem antea factam de bonis suis.

Filius familias Religioni ingressus testari non potest, etiam patre consentiente; quia patria potestas non tollitur per dictum ingressum, bene vero per professionem, de castrensi vero, vel quasi, bene potest.

De bonis autem adventitiis filio relictis, cum conditione quod patri non quærat^{ur} ususfructus, testari potest ante professionem.

Quando ingressus Religioni est capax testandi, & testavit, an hæres institutus possit capere bona testatoris incontinenti emissa professione, an debeat spectare mortem naturalem professi? Si Monasterium est capax bonorum, tenetur spectare mortem naturalem, si est incapax potest capere bona incontinenti professione amissa.

Excommunicatus testari potest, etiamsi sit excommunicationi majori, nisi sit propter hæresim, & per annum perseveraverit.

Testamentum factum ab infirmo in extremo laborante, & non poterit suam voluntatem perfecte explicare, non præsumitur factum animo deliberato, sed potius ad se eximendum à molestiis interrogantium, & Notarius non debet hujusmodi testamento rogari.

Dubius est, qui dubitat, an sit liber, vel servus, an sit filius familias, vel sui juris, iste testari non potest.

§. II.

De Legatis.

LEGATUM est = Donatio quædam à testatore relicta, & ab hærede præstanda.

EXPOSITIO.

Donatio quædam: Ad differentiam aliarum donationum, nam in jure sex sunt species, & ista est una ex illis, quæ locum habet in ultima voluntate.

Sedvero fieri possunt, nedum in ultima voluntate, sed etiam in contractu, & suam retinent naturam revocabilem.

A testatore relicta: Quia cum regulariter fieri debeat in ultima voluntate, ideo dicitur à testatore.

Ab hærede præstanda: Quia hæres adita hæreditate tenetur legata satisfacere, & non antea.

Legatarius non potest capere propria auctoritate rem sibi legatam, aliàs privatur jure suo, nisi habeat licentiam à testatore.

Tamen potest legatarius propria auctoritate apprehendere possessionem rei sibi legatæ, quando certum est hæredi nullam competere deductionem, nec non etiam quando possessio est vacans, & etiam quando res legata à nemine possidetur.

Legatarii habent tres actiones ad legata consequenda; nempe rei vindicationem, hypothecam, & personalem ex testamento.

Legatum est duplex: = Pium, seu ecclesiasticum, ut quando testator legat missas sibi dicendas, seu fundandas, anniversaria, beneficia, causas pias, & similia. = Profanum aliud, ut quando testator legat alicui pecunias, vel certam rem.

Legare possunt illi, qui testari possunt, & qui testari non possunt, neque legare.

Illi soli legari potest, qui institui potest, cæterum donatariis, legatariis, mortis causa, capacitas uno tantum tempore, videlicet mortis, consideratur.

Hæreticus, tenent aliqui, quod est capax legati alimentorum.

Hæredi à se ipso non potest legari, quia debet esse differentia inter hæredem, & legatarium, sed quotidie videtur hæredi facere prælegata.

Potest relinqui Collegio futuro, Hospitali, vel Ecclesiæ construendæ, tamquam posthumæ.

Legari possunt omnes res, quarum saltim commercium

cium à privatis adipisci, possiderique possint, & non distinguitur an nostræ, vel alienæ sint.

In rebus alienis legatis est distinguendum: aut testator sciebat rem esse alienam, valet legatum, cum videatur hæredem gravare voluisse ad illam redimendam, aut saltem ad æstimationem earum; si vero ignorabat, neque res, neque æstimatio debetur, nisi sit ad pias causas, vel conjunctæ personæ factum, quia tunc valet, quamquam ignorasset.

Legari possunt res hæredis, & hæres non potest adire hæreditatem, nisi primo rem legatam solvat.

An testator possit alicui legari rem propriam legatarii, licet tempore testamenti non stet sua, sed cedente die legati facta fuerit sua titulo lucrativo? distingue, aut fuit facta sua irrevocabiliter, tunc regulariter non valet legatum, aut fuit facta sua sub aliqua conditione, vel pacto revocabili, tunc valet legatum.

Legari possunt res futuræ; ut sunt fructus ex tali prædio proventuri.

Pariter legari possunt nedum corporalia, ut sunt mobilia, & immobilia; sed etiam incorporalia, ut sunt jura, actiones, servitutes, liberatio debiti, & similia.

Legata: Quædam sunt pura: quædam temporalia: quædam in diem, vel ex die: quædam generalia: quædam specifica; hæc aliquando sunt demonstrativa, aliquando conditionalia.

Pura sunt, nulla adjecta conditione, nec modo.

Legatum bonorum mobilium, & immobilium non comprehendit jura, & actiones; secus autem est si fit simpliciter omnium bonorum absque dicta specificatione, neque comprehendit nomina debitorum.

In legato omnium bonorum, quos quis habet in tali

loco, non veniunt nomina debitorum, cum illa loco non conscribantur.

Legatam bonorum regulariter comprehendit tantum bona præsentia tempore testamenti, non autem postea acquisita; quia legatum factum per verba præsentis temporis non comprehendit futurum.

Legatum mobilium, attenda verborum significatione, comprehendit omne id, quod est aptum moveri de loco ad locum. Comprehendit etiam pecunias, nisi de eis facta fuerit discretiva, vel separata mentio, seu dispositio.

In dicto legato mobilium comprehenduntur vasa argentea, torques, sive catenas aureas, fructus, vestes, & alia quæ ad modum mobilium destinata sunt, & quæ de loco ad locum moveri possunt.

Legatum factum in recognitionem servitutis non tollitur ex eo quod postea testator solverit famulis, qui finem fecerunt; quia hujusmodi solutio est ex causa necessaria, legatum vero ex causa liberali, & voluntaria.

Legatum alimentorum præsumitur annuum, nisi testator restituerit.

Alimenta legata uxori per ejus virum debentur ei in domo viri, nisi ab isto aliud sit expressum, vel nisi sint cepta præstari in alio loco.

Uxor legataria, & jussa habitare cum filiis, consequitur legatum alimentorum, etiam extra domum, si à filiis sibi mota fuerit lis, vel ipsi decesserint, cum jussa habitare cum filiis non teneatur habere cum neptibus.

Alimenta simpliciter legata à fratre sorori viduæ, debentur etiam si transeat ad secunda vota, secus si fuit adjecta conditio viduitatis servandæ.

Si legantur alimenta infanti, vel pupillo donec ad pubertatem pervenerit, debentur masculo usque ad de-

cimum octavum annum, & foeminae usque ad quatuordecim annos.

Alimenta praestanda per haerem scriptum ejus vita durante, debentur etiam ab ejus haeredibus vivente alimentario, vel durante termino praestituto, sive legatum sit purum, sive in diem, sive ex die.

Legata generalia fiunt; ut lego tibi hominem servum, domum, cum plures testator habeat, si legatur domum tunc in dubio electio est haeredis, qui nec pessimus, nec optimus, sed mediocre dabit, in homine tamen electio est penes legatarium.

Legata specifica fiunt per pronomen qui, quae, quod: aliquando sunt demonstrativa, ut quando dicitur: lego tibi quod habeo in cista quod reposui, quae demonstratio, si falsa sit, nihil debetur, aliquando sunt conditionalia, ut lego tibi fructus quos habiturus sum, vel quod ex ancilla mihi nascatur, quae tacitam important conditionem.

Alia sunt legata conditionalia, quae non debentur nisi purificata conditione.

Conditio est triplex: possibilis, = necessaria, = & impossibilis, quae dicitur, vel de natura, vel de facto, vel de jure, vel ob perplexitatem.

Conditio impossibilis aliquo modo, ex praedictis adjecta in ultimis voluntatibus, habetur per non scripta, & illas non vitiat regulariter, & ideo debent esse posibles ut possint impleri.

Conditio pro parte possibilis, & pro parte impossibilis in ultimis voluntatibus, si fuerit impleta pro parte possibili dicitur illi plene satisfactum, & statim relictum peti potest.

Conditio tamen supervacua est = Titius esto haeres, & si Titius haereditatem adierit, lego Caio centum: quia

quia debetur etiam si Titius ante aditam hæreditatem decesserit.

Legatum factum mulieri si nupserit, vel Monasterium ingrediatur, amittitur si statim interpellata non adimplet.

Conditio non nubendi adjecta legatarix, si generaliter inducit viduitatem respectu temporis, personarum, & locorum, non valet; sed si specialiter inducit dictam viduitatem respectu alicujus, personarum, & locorum valet.

Legatum impediens vitam religiosam, & contemplativam retrahens, reprobatur in virginibus, & viduis apposita, si tendit principaliter ad odium religionis, non vero si tendit ad conservandam familiam.

Legatum factum virgini cum conditione ne nubat, potest relictum capere etiam si nubat, cum talis conditio in virgine reprobetur.

Legatum relictum cum conditione nubendi certo loco, vel civitate, illudque amittendi, vel certam summam solvendi tertio, in casu contraventionis, est validum, etiam quo ad conditionem; quia non impeditur libertas matrimonii, quando in loco sunt occasiones nubendi, nec dicitur poenale.

Legatum factum cum conditione ne tali nubat valet, & amittitur ea non servata.

Si testator dixerit: lego centum Franciscæ si tempore mortis meæ nupta fuerit valet; & sustinetur in virgine, & debetur legatum verificata conditione.

Si puella afficiatur Monialis valet, & dicitur statim purificata conditio per ingressum, & professionem subsequutam.

Legatum factum ab extraneo mulieri non nuptæ est conditionale si nupserit, factum vero à patre est purum, nisi ultra illico reliqueret legitimam filiam.

Legatum factum mulieri pro maritanda, si jam nupserit caducatur; quia est factum ob causam, quæ nubendo cessat, tamen quidam tenet quod tali casu causa per matrimonii contractum non dicitur extincta, sed potius adimpleta, & confirmata.

Legatum factum mulieri si vidua afficiatur, debetur etiamsi secundo nubat; quia sufficit conditionem extitisse, licet implementum non duret, cum non requiratur tractum successivum.

Legatum factum pro dotandis mulieribus, non intelligitur pro viduis pauperibus, sed tantum pro prima vice nubentibus.

Conditio posita legatario habitandi cum hæredibus defuncti valet, & est adimplenda, licet videatur restringere libertatem.

Dicta conditio permanendi in domo viri adjecta uxori legatarie non inducit viduitatis conditionem, nisi sit expressa, etiamsi fuerit addita *caste, & honeste vivendi*.

Conditio de morando in certo loco adjecta in legato, per modum obligationis ad nullum principale commodum, est ipso jure nulla; per modum conditionis valet, & est servanda.

Legatum factum à marito uxori cum conditione *caste, & honeste vivendi* valet, & amittitur si conditio non impleatur.

Viduitatis conditio apposita tamquam mulieri onerosa, & contra publicam utilitatem, & matrimonii libertatem numquam intelligitur, nec venit sub conditione permanendi in domo testatoris, vel *caste, & honeste vivendi*, maxime si non adsunt filii primi matrimonii, quorum favore possit censi apposita.

Legatum factum uxori donec *caste* vixerit, & vi-

tam

tam vidualem servaverit, valet; & debetur ei, qua Religionem ingreditur, & professavit; quia tunc dicitur fortius adimplere conditionem.

Legatum factum per virum uxori de vestibus, jocalibus, & ornamentis, tenent aliqui, quod sunt de pretiosis, & festivis, cum sint propria viri facta uxori ad ejus ornatum.

Legatum domus uxori pro habitatione, videtur legata quo ad dominium, & proprietatem, & ideo bonum est addere: donec vixerit.

Legato lecto regulariter continentur omnia illius ornamenta.

Legatum ad usum, & usumfructum, nisi adsit aliqua præfixio temporis, dicitur liberum, & transmittitur ad hæredes; secus autem si relinquatur usus, vel ususfructus.

Habitatione legata simpliciter, legatum per mortem legatarii finitur; si vero fuerit legata domus cum onere habitandi, tunc legatum non est temporale, nec extinguitur morte legatarii, sed est perpetuum, & in hæredes transitorium, & tunc dicitur conditio per mortem finita, non vero diffusa; itaut hæres non teneatur habitare, nisi testator dixerit, donec, & quousque habitaverit.

Si testator alicui concesserit habitare in domo, non videtur per hoc relinquere habitationem, nec usum, sed tantum facultatem habitandi de facto consistentem, & personalem; itaut non potest domum locare, nec vendere.

Legatum domus, nullo addito signo universalis, comprehendit totam domum, quam testator habitare solebat.

Legatum domus factum simpliciter, si testator habet plures, intelligitur de una tantum ad electionem hæredis.

In domo legata venit hortus, viridarium domui in-
 junctum, & etiam stabulum.

In legato ususfructus mobilium, & immobilium, ve-
 niunt fructus relictii per testatorem, ac etiam percepti
 in domo reconditi, licet usu consumerentur, sed non fiunt
 absolute legatarii, qui tenetur cavere de illis restituend-
 is, vel æstimationem finito usufructu.

Censuale non venit in legato pecuniarum, vel re-
 rum mobilium, sed tantum in legato rerum immobi-
 lium, cum inter immobilia reputetur; venit tamen in
 legato mobilium, & immobilium.

In legato censualis, seu census venit tantum jus exi-
 gendi annuas pensiones, non autem pecunia, seu pre-
 tium, aut capitale illius, & in casu luitionis est res-
 tituendum hæredi.

Usufructu legato spectant ad usufructuarium jus con-
 ductionis, & utilia ab eis provenientia, lucra proto-
 colorum Notarii mortui, laudemia, condemnationes,
 & quæcumque alia jura, & redditus.

Legatum autem ususfructus, cum onere constituendi
 hæredi aliquam servitutem, ex necessaria consequen-
 tia comprehendit dominium, & proprietatem ad favo-
 rem legatarii, aliàs legatarius præstare non potest.

Testator non potest remittere usufructuario cautio-
 nem de utendo arbitrio boni viri, sed quotidie vide-
 tur dicta cautio remitti.

Legata annua sunt solvenda ab usufructuario, &
 non ab hærede, nisi testator aliud jusserit, vel volue-
 rit, & sunt solvenda in principio anni pro toto anno;
 ita quod non soluta transmittuntur ad hæredes.

Testator legans prædia sua uni, & alteri usumfruc-
 tum eorum prædiorum videtur velle, quod ambo con-
 currant pro dimidia ad usumfructum.

Legatario potest substitui in re legata, & idēo lēgatum factum uxori donec vitam vidualem servaverit, & quod post ejus mortem, vel si secundo nupserit, vadat ad alium; si transierit ad secunda vota, statim tertio debetur morte non expectata.

In legato facto uxori pro augmento dotis, & benemeritis, potest substitui, quod si decesserit sine liberis, revertatur ad domum, & hæredes testatoris; quia intelligitur de liberis communibus, non de liberis ex alio matrimonio.

Conditio sine liberis non subintelligitur in legatis, in quibus legatarius sit gravatus alteri restituere.

Maritus legando aliquid uxori, videtur illi remittere expensas factas in re dotali.

Legando maritus dotem uxori, si uxor illam promisserat, videtur liberationem legare; si pater, vel alius pro illa dotem promisserat, dicitur legare actionem contra promittentem, si maritus dotem non exegit.

Facto legato alimentorum uxori donec dotem suam non petierit, si aliquid annuum percipiat, an committatur usura? Quidam affirmativam, quidam negativam tenent.

Maritus non potest renuntiare legatum uxori factum; quia non potest præjudicare.

Testator legans aliquid præter dotem, vel extra dotem, censetur etiam ipsam dotem legasse propter illas dictiones inclusivas.

Confitens testator in testamento dotem accepisse, nedum probat dotis solutionem, sed etiam facit deberi jure legati, etiam aliter non dato de numeratione, vel solutione.

Si tamen confessio esset relativa ad aliquod instrumentum, non debetur, nisi quatenus in eo appareret.

Revocato testamento censetur revocata dicta confessio, nisi fuerit acceptata à parte præsentis, vel à Notario pro ea stipulante, vel testator dixerit velle valere donationem inter vivos; quia tunc transit in contractum, & non potest revocari.

Contractus enim possunt etiam fieri in testamento, quo revocato, illi non censentur revocati, cum statim à die celebrationis habeant effectum, non spectata testatoris morte, si fiunt parte præsentis, vel Notario stipulante, quamvis testamentum esset invalidum; quia retinent propriam naturam contractus.

Pater legans filia ex causa dotis, & postea illam maritans solvendo dotem, si moriatur non mutato testamento, tenent aliqui filiam non posse petere legatum; quia cum sit relictum causa dotis, & sit dotata, deficit causa legati: Aliqui tenent posse legatum petere, quando pater suum potuit mutare testamentum, & non mutavit; voluit legatum manere in suo robore.

Pater legans filia mille, & illa maritans cum quingentum, potest filia exigere reliquas quingentum.

Pater relinquens filia mille si nupserit, & quingentum tantum si monachatur, solum quingentum prætereendere potest; quia licet patri ordinare quod minor dos detur filia monachanti, quam nubenti.

Testator legans debitori suo simpliciter pignus, quod penes se habet, liberationem pignoris, & non debitum videtur tantum legasse.

Debitor ex obligatione legali, si legat suo creditori, censetur legasse animo compensandi, secus vero ex obligatione propria per ipsum contracta, nisi contrarium expresserit.

Legatum factum per uxorem marito computatur, & confunditur cum lucro eidem, vigore statuti debito,

secus autem si debeatur vigore pacti; quia lucrum debitum ex statuto est debitum necessarium, ex pacto vero voluntarium.

Conjux, qui ad secunda transiit vota, non potest aliquo titulo in secundum conjugem conferri plusquam uni filio primi matrimonii.

Mater contemplatione secundi viri non potest relinquere filiis secundi matrimonii plusquam filiis primi, cessante autem dicta contemplatione bene potest, dummodo filii primi matrimonii non fraudulentur in portione sibi de jure naturali debita.

Sed mater secundo nubens dotata ab extraneo cum conditione, quod habeat disponere de dote favore filiorum secundi matrimonii, nedum potest, sed tenetur totam dotem illis relinquere, licet adsint filii primi matrimonii.

Mater non potest, neque ex testamento, neque alio modo relinquere filiis, vel filiabus ex punibuli, & damnato coitu procreatis, sive sit illustris, sive non.

Monachi non obstante regula, quod nihil possidere valent, possunt cum permissu Abbatis retinere legata sibi facta, cum conditione quod Monasterio nihil acquiratur.

Quando Monasterio aliquid relinquitur, ut aliquam recipiat in Monialem, licet videatur non valere conditionem, tamquam simoniacam, legatum efficitur purum, & valet.

Legatum factum alicui, sub nomine dignitatis, videtur transire in successorem.

Legatum simpliciter factum ab avo paterno dicitur adventitium, & non profectitium, nisi expresse contemplatione patris sit relictum, vel nisi sit expressa aliqua causa, ad quam pater tenebatur.

Legatarius in uno legato prohibitus, nihil aliud petere potest, nec petere alia legata in eodem testamento sibi facta; quia prohibitio intelligitur, ut non possit petere ultra disposita in sui favorem.

Legatum non potest pro parte agnosci, & pro parte repudiari, immo legatarius debet in totum agnoscere, vel repudiare.

Testator legans rem emphyteuticam non personam prohibitam, antequam transferat possessionem debet requirere consensum domini, qui consentire tenetur, dummodo legatarius sit habilis ad solvendum, recognoscendum dominium, solvendo laudemium pro nova investitura facienda infra duos menses.

Si legatum fit de rebus sitis in Civitate Barcinone, hortisque, & vineto ejusdem, non requiritur consensus domini.

Si legatum fit de rebus emphyteuticis in personam prohibitam, hoc est Ecclesiam, valet quo ad æstimationem.

Si testator legat facta, ut hæredem meum damno illi domum reficere, vel ære alieno liberare, tenetur hæres ad id ad quod à testatore damnatus est.

Si legatur pactum de retrovendendo rem instrumento gratia venditam, hæres tenetur actionem suam legatario præstare, in quo legato solum venit ipsa actio, non vero prædium.

Qualitas adjecta uni legato, non videtur repetita in alio eidem personæ facto, non obstantibus dictionibus respectivis, quando adest diversitas rerum legatarum separatim in oratione perfecta.

Conditio adjecta primo legato, non videtur repetita in secundo.

Legatarius potest petere divisionem hæreditatis defuncti,

functi, & quando hæres plures habet creditores, sive hypothecarios, sive chirographarios, eis legatarius præfertur, etiamsi hæres liberam habuerit facultatem disponendi.

Creditores autem defuncti legatario præferuntur, & si æs alienum defuncti absorbit hæreditatem, legata non debentur, & efficiuntur quasi caduca.

Legatum non vitiat ex falsa causa adjecta, cum causam non requirat, nisi causa sit finalis, vel conditionaliter apposita; quia si tunc est falsa legatum vitiat.

Incertitudo regulariter vitiat legatum, sed non vitiat quando est factum ad refectionem vitæ, nec causa studendi, cum per relationem ad patrimonium testatoris possit talis incertitudo verificari.

Evictio an debeatur ab hærede legatario, cui res legata fuit evicta? Quidam tenent quod non debetur de re particulari legata, nec quando testator credebat rem legatam esse liberam, nec quando hæres est majus conjunctus testatori, quam legatarius.

Aliqui tenent deberi quando est in legato generis, & quando legatum (licet sit de re particulari) non est mere gratuitum, & correspectivum, vel quando fuit à testatore ordinata, & imposita hæredi, ut si legatum sit factum filio maxime pro legitima.

Hæc tamen evictio differt ab aliis; quia valor tantum ipsius legati, & non interesse præstat.

Quando legatur nomen debitoris, si debitum non est verum, hæres non tenetur ad legati præstationem, sed tantum ad cessionem actionis, & legatarius suis expensis, & periculo agere debet.

Legatum factum Ecclesiæ sub conditione, vel modo, non potest revocare, nec amittitur non sequito implemento,

plemento, licet sit cum clausula *non aliàs, nec alio modo*; sed tantum potest agi ad implementum.

Legatum censetur revocatum per voluntariam alienationem rei legatae, non autem per necessariam.

Etiam revocatur legatum per pignorationem rei legatae, quando est pignorata pro tanta summa, quæ vel excedit, vel æquivalet pretio ipsius rei.

Legatum in specie extinguitur alienatione, hypothecatione, translatione, & mutatione de una specie in aliam, sive mutatione formæ.

Legata annua Ecclesiæ facta non præscribuntur spatium centum annorum, maxime stante clausula in perpetuum pro suffragio animæ.

Legatum in meram hæredis voluntatem collatum est nullum.

Legatum in alterius voluntatem per modum conditionis, ut *lego centum Seio, si Titius voluerit*, non valet; quia voluntas testatoris non debet ab alieno arbitrio pendere.

Valet tamen legatum si testator committatur alicui tertio in secreto declarationem personæ, cui dandum sit, cum tunc tertius non fungatur vices arbitri, sed testis à testatore approbati.

Notarius non potest sibi aliquid scribi in testamento per eum rogato, sustinetur tamen relictum in testamento nuncupativo, propter scientiam quam habent testes, si adhuc vivunt, & de eo deponant.

§. III.

De Hæredis Institutione.

HÆREDITAS est = Successio in universum jus, quod defunctus habuit tempore mortis suæ.

Dicitur *successio*, idest ex testamento, vel ab intestato, duobus enim modis defertur hæreditas, vel ex testamento, & tunc ille, cui defertur, vocatur hæres, vel ab intestato, & tunc illi, quibus defertur, non vocantur hæredes, sed successores ab intestato, & quamdiu potest adire ex testamento, cessat successio ab intestato.

Tamen si decedens intestatus unicum tantum habet filium, tunc iste dicitur hæres per regulam, quo casu aliis de genere, & parentela non est locus successioni ab intestato.

Ponitur *in universum jus*; quia hæreditas, sive deferatur ex testamento, vel ab intestato, hæredes, seu successores capiunt omnia bona, jura, & actiones defuncti.

Attamen si defertur ex testamento, sub nomine hæreditatis non veniunt legata, quidam tenent nec fideicommissa.

Denique adjicitur: *Quod defunctus habuit*, &c. quia in successione tantum consideratur tempus mortis; nam hæreditas, quocumque modo deferatur, non dicitur delata vivente possessore, sed à die mortis sue.

Hæreditas non potest dari in diem, vel ad tempus.

Delata hæreditas infanti, istius nomine potest pater illam adire.

Pupillo delata auctoritate tutorum, seu per istos illius nomine adiri potest.

Monacho delato, ipso jure acquiritur Monasterio, absque ullo facto, & aditione Monachi.

Hæreditas agnita à filio, & non ratificata à patre, pro ut requiritur, habetur pro non adita, & resolvitur agnitio, & filius non manet obligatus creditoribus hæreditariis. Quando pater habet ratam agnitionem, sibi acquiritur, si hæreditas est profectitia.

Si autem pater est impeditus, vel nollet consentire, tunc agnitio fundatur in filio, & manet obligatus dictis creditoribus.

Furiosus hæreditatem sibi delatam transmittit ad hæredes; si ab extraneo, non transmittit.

Si hæreditas defertur sub aliqua conditione, hac pendente non dicitur adita, nec transmittitur.

Si testator plures instituerit hæredes, & æquis portionibus noluerit, tunc necesse est definire in quanta parte singulis succedere velit.

Hæreditas non potest directe dari, nec adimi in codicillis, etiam inter liberos.

Hæredis institutio est caput, & fundamentum totius testamenti, sine qua inutile est, qualecumque tamen sit.

Institutio hæredis est: Alterius in omnibus bonis testatoris post ejus mortem statutio, & idem quod hæredem instituere.

Hæredem instituere est: Aliquem post mortem suam in omnibus bonis æque dominum statuere.

EXPOSITIO.

Dicitur *aliquem*: Idest habilem, & idoneum ad existendum hæredem; quia non omnis persona institui potest.

Ponitur *post mortem*: Et non antea, nam si quis faceret testamentum, ut incontinenti haberet vires, non valeret, cum deambulatoria sit hominum voluntas usque ad extremum vitam.

Sequitur *suam*: Quia si quis diceret volo, quod testamentum solum habeat vires morte. N. sequuta, non valeret, nec fieri potest.

Additur *in omnibus bonis*: Non autem in parte, quia si quis esset institutus in parte, & de residuo nihil esset dictum, tunc institutus in parte haberet totum, quia totum in parte contineretur.

Tamen: *In omnibus bonis*, intelligitur respectu testatoris, & non hæredis; quia testator potest instituere duos, aut plures hæredes, partibus paribus, & imparibus.

Denique adjicitur: *Æque dominum statuere*, nam quando quis est institutus efficitur dominus, & testator eum dominum facit.

Et ideo hæres dicitur quasi herus, successor videlicet juris, & universorum bonorum, quia deinceps omnino potestatis, jurisque est, cujus defunctus fuit.

Et etiam hæres dicitur ab hero, idest domino, nam hæres repræsentat personam domini, & quantum ad usucapionem, & præscriptionem inter defunctum, & hæredem continuatur possessio, & una, & eadem est persona hæredis, & defuncti, & etiam commodum, & incommodum ad hæredem spectat, sicut ad dominum dum vivebat spectabat: significat dominum, nec in alio verificatur.

Licet aliquis sit prohibitus alienare, non est prohibitus sibi hæredem instituere.

Hæredis institutio pro arbitrio testatoris fieri potest: 1. Verbis directis: 2. Verbis inflexis: 3. Ad tempus incertum: 4. Ex incerto tempore: 5. Pure: 6. Sub conditione: 7. In universo: 8. In capite: 9. In stirpes: 10. In certa parte: 11. In re, vel quantitate certa: 12. Pluribus hæredibus.

Fit pure: ut Titius mihi hæres esto, Titium mihi hæredem instituo. Quæ fit verbis directis, vel verbis inflexis non est de essentia, nec de substantia, quia semper instituitur.

Sub conditione, vel pluribus conjunctis, vel separatis, sub una conditione, ut Titius mihi hæres esto, si filiam meam uxorem duxerit: duabus conjunctis, ut Titius mihi hæres esto, si illud, & istud fecerit, & binæ impleri

pleri debentur : duabus separatis, ut Titius mihi hæres esto, si istud, vel illud fecerit, & sufficit quod una tantum impleatur.

Conditio est qualitas, ita efficiens quamcumque dispositionem, cui sit adjecta, ut illius effectus suspendantur usque ad implementum, & ideo conditio nihil ponit in esse.

Conditio est triplex, potestativa, causalis, & mixta.

Potestativa est, quæ pendet à potestate instituti; causalis est, quæ pendet à causa; & mixta, quæ utramque continet, quæ possunt extraneo hæredi imponi, suis autem hæredibus tantum potestativa.

Conditiones intrinsecæ, necessariæ, & quæ à lege, vel naturæ rei tacite insunt, non reddunt dispositionem proprie conditionalem, nec transmissionem impediunt, etiam si fuerint expressæ à testatore, ut si dicat: Institutio Titium hæredem cum onere solvendi mea debita, cum de jure insit hæredi.

Conditio, si filius, vel filia mea decesserit cum liberis, non sit hæres, rejicitur in ultimis voluntatibus, & reputatur de jure impossibilis, sicut etiam vice versa, & potest esse turpis, si adjiciatur sacerdoti.

Conditio, ut filius, vel filia mea teneantur matrimonium contrahere cum persona talis familiæ, vel cum certa, & definita persona valet, si honeste impleri potest.

Si testator institutum aliquem præsentem, cum conditione, si N. uxorem duxerit, impleta conditione potest revocare testamentum, aliàs auferetur facultas testandi, & revocandi.

Conditio nubendi cum una ex filiabus N., ut dicatur impleta, sufficit unam esse requisitam, etiam si noluerit, vel recusaverit.

Nubendi conditio arbitrio parentum, fratrum, tutorum,

rum,

rum, vel curatorum, aut aliorum, si apponatur per modum præcepti rejicitur, tanquam libertati matrimoniali contraria; si vero per modum concilii valet.

Testator non potest apponere qualitatem, seu conditionem matrimonio retrahentem.

Omnis conditio, qualitas, seu modus impediens libertatem matrimonii, seu illi moram nectans, dicitur impossibilis, & adjecta dispositioni, hæc valet, & illa pro non scripta habetur.

Conditio, quod quis excludatur ab hæreditate, si vitam sacerdotalem, vel religiosam elegerit, valet, si non est facta in odium religionis, sed pro conservanda agnatione, & familia.

Institutio fieri potest duobus hæredibus contrariis conditionibus, & uterque erit principaliter institutus, & non unus alteri substitutus.

Duobus institutis, uno pure, & altero sub conditione, si conditio deficit, semper est hæres; si conditio existat non est, nec fuit retro hæres, nisi pro parte sua, & verificata conditione alteri restituere tenetur partem cum fructibus.

Hæres potest institui sub conditione casuali, & non consequitur hæreditatem nisi purificata conditione.

Potest etiam institui sub conditione repugnantiam habente, ut quod hæres non possit esse, nisi prius solverit legata, & adimpleverit disposita, quia possunt solvi, & deberi ex præcepto testatoris non uti hærede.

Operatur institutio conditionalis, quod si hæres decedat ante impletam conditionem non sit hæres, nec hæreditatem transmittat.

Ad certum tempus, vel ex certo tempore fieri non potest institutio; ad certum tempus, ut Titius ex calendis Januarii mihi hæres esto; ex certo tempore, ut Ti-

tius usque ad octo annos proximos mihi hæres esto, nec sic recte substituitur; sed vitio temporis sublato manet institutio, ac si pure facta esset.

Ad tempus incertum, & ex incerto tempore fieri potest, ut instituo mihi hæredem uxorem meam quamdiu vixerit, & post ejus obitum Titium mihi hæredem instituo.

Fieri potest institutio in universum, ut Titium mihi in omnibus bonis meis mihi hæredem instituo.

Bonorum appellatione, nullo dato signo universali, veniunt stabilia, mobilia, se moventia, pecuniæ, debitorum nomina, jura, & actiones, ac etiam nomina conditionalia, & debita in diem.

Si vero nomini bonorum additur, seu fit mentio mobilium, & immobilium, non veniunt jura, & actiones, quæ quamdam tertiam bonorum speciem constituunt.

Neque veniunt jura, & actiones quando fit mentio bonorum ubique existentium, quia tanquam incorporalia non dicuntur esse in loco.

In certa bonorum parte fieri potest institutio, ut Titium mihi hæredem instituo in tertia parte bonorum meorum.

Etiam fieri potest in re, vel quantitate certa, ut Titium in tali domo, vel in 1000℥ ꝓ mihi hæredem instituo.

Isti instituti diverso jure censentur, nam in universum institutus universum onus subit æris alieni, quod in hæreditate invenitur; in certa autem parte institutus, pro ea tantum in qua est institutus tenebitur.

Sed in re, vel quantitate certa institutus loco legatarii habetur, & non subit onus æris alieni; si non est alius in universum institutus, habet jus accrescendi, cohærede universali deficiente.

Si institutus in re, vel quantitate certa est filius testatoris habetur loco hæredis.

Hæres institutus *pleno jure*, vel *plenarie*, propter hujusmodi verborum expressionem concurret in usufructu cum usufructuario, aliàs secus.

Hæredis declaratio, seu demonstratio debet esse certa, & determinata.

Potest tamen conferri in alterius electionem hæredis nomen, ut instituo hæredem meum illum filium, vel filiam, quem, seu quam uxor mea nominaverit, quia tunc non institutio, sed nominatio est in arbitrio alterius.

Institutio in capita fit, Titium, Seyum, & Cayum mihi hæredes instituo æquis partibus; si autem fit in stirpes, etiam fit in capita, ut Titium, & Seyum filios meos in capita, Cayum, Neyum, & Mevium neptes meos in stirpes mihi hæredes instituo, & tunc Titius, & Seyus habent duas tertias partes, reliquam vero neptes inter se dividunt.

Quædam sunt personæ quæ institui non possunt, ut damnatus in insulam, hæretici qualescumque, collegia prohibita, improbus, intestabiles, delinquentes læsæ Majestatis, ut sunt damnatus ad metallum, quia pœna efficitur servus, & damnatus ad mortem, istorumque filii, expurei nati ex incestuoso, & damnato coitu respectu parentum eorum, apostata, servus de adulterio cum domina sua accusatus respectui ipsius dominæ, personæ incertæ, nisi sint pauperes Christi, vel captivi, quia tunc favore causæ piæ valet, adulteri respectu adulteræ, & è contra, turpes, viles, vel infames personæ.

Mulier, quæ plures non admisit, nec corporis sui quæstum fecit, non dicitur meretrix, nec dici potest infamis, nec vilis; secus autem si pluribus se prostituit, & ex suo corpore quæstum fecit.

Concubina dicitur persona turpis.

Uxoratus tenens concubinam in domo, vel extra domum, dicitur infamis, nec institui potest.

Expurei sunt viles, ita quod si instituuntur, præteritis fratribus, vel sororibus, faciunt subjacere testamentum quærelæ inofficiosi.

Sed si illegitimi fuerint habilitati, & dispensati à Principe, institui possunt, quia per dictam dispensationem sublata est omnis macula.

§. IV.

De Hæredum qualitate, & differentia.

Certæ autem sunt personæ instituendæ, ut sunt liberi nostri ex justis nuptiis procreati, & procreaturi, ut sunt posthumi.

Hæredes alii sunt sui, & necessarii, alii necessarii tantum, & alii voluntarii, seu extranei.

Ut dicantur sui duo requiruntur: 1. Quod sint in potestate testantis die istius obitus: 2. Quod inter testatorem, & hæredem nullum sit medium, & ita dicuntur sui, quia sunt in potestate testatoris, & necessarii, quia de jure civili sunt hæredes, licet de jure prætorio possint ab hæreditate abstinere.

Necessarii tantum sunt servi à domino instituti, quia sive velint, sive nolint tenentur hæreditatem, etiam suspectam, adire, sed ipsa institutione fiunt liberi.

Servus proprius debet institui pure, alienus vero cum conditione, idest cum liber erit; sed videtur quod in institutione conditionali servi alieni fit locus hæreditati jacenti, vel datur locus venientibus ab intestato, si adsunt, nam si dominus servum suum conditionaliter institutum non vult manumittere, deficit hæres.

Voluntarii, seu extranei hæredes dicuntur, qui in testatoris potestate non sunt, & sic appellantur voluntarii, licet sint filii testatoris, ut emancipati, & filii à matre instituti.

Sed tamen prædicta de prima, & tertia hæredum qualitate, & differentia videntur falli his sequentibus.

Linea est ordinata collectio personarum, ab uno stipe descendendum, diversos continens gradus.

Gradus est habitudo, sive mensura personarum, qua cognoscitur quota consanguinitatis, ut aliqui inter se junguntur.

Licet linea multiplex sit, hic tantum de linea parentelæ agitur, quæ est quadruplex: una ascendendum; altera descendendum, alia collateralium, & transversalium alia.

In descendenti linea sunt filii, neptes, proneptes, & reliqui descendentes, & hæc vindicat primum sibi locum.

In ascendenti linea sunt pater, mater, avi, proavi, & reliqui ascendentes, & hæc sibi locum secundum vindicat.


Collateralium vero linea sunt fratres, sorores; transversalium vero linea sunt filii fratrum, & sororum naturales tantum, & expurei non sunt de linea, de quibus omnibus lineis hic est exemplum.

De liberis primi gradus.


Liberi primi gradus sunt filii legitimi, & naturales, sive masculi, sive foeminae, sive in potestate, sive emancipati sint.

Liberorum appellatione veniunt tam masculi, quam foeminae, quia est eorum terminus communis.

Quandoque filiorum appellatione veniunt neptes ex filio, vel filia procreati.



A num. 34, 35 & 36. liberi primi gradus
 num.
 A num. num. 17. ascendendo num. 11, 12,
 5, 6,
 Num. 1 num. 9 & 10.
 Num. 1 à num. 11 & 12.
 Num. 2 endentibus.
 Num. 3 te matrimonium inter n. 16 & 17.
 Num. 3



A num. 16 & 17. incipit linea descendentium qui descendentes sunt num. 24, 25, 26, 27, 33, 34, 35 & 36. liberi primi gradus num. 24, 25, 26 & 27. liberi autem secundi gradus sunt num. 33, 34, 35 & 36.

A num. 16. ascendendo num 9, 10, 1, 2, 3, 4. sunt ascendentes ex linea paterna, & à num. 17. ascendendo num. 11, 12, 5, 6, 7, 8. sunt ascendentes ex linea materna.


Num. 13, 14 & 15. sunt collaterales paterni num. 16. quia illi sicut iste descendunt à num. 9 & 10.

Num. 18, 19 & 20. sunt collaterales materni à num. 17. quia illi sicut ista descendunt à num. 11 & 12.

Num. 21, 22, 23, 28, 29 & 30. sunt transversales de num. 16 & 17, & istorum descendentibus.

Num. 31. est expureus veniens à num. 16. habitus à concubina quæ non fuit uxor, & ante matrimonium inter n. 16 & 17.

Num. 32. est naturalis descendens à num. 16, & non à num. 17.



A num. 16 & 17. facit linea descendens quae
 num. 24, 25, 26 & 27 libit. autem secundum
 A. num. 16. ascendens a num. 3, 10, 11, 12, 13, 14
 & 15. & sunt ascendentes ex linea descendens
 num. 13, 14 & 15. sunt collatae. distans in
 linea 18, 19 & 20. sunt collatae. distans in
 linea 21, 22, 23, 24 & 25. sunt transversae
 linea 21. est expansa. versus a num. 16. habet
 linea 22. est contracta. distans a num. 16.

Liberi nostri ex justis nuptiis procreati sunt instituendi, sicque pater tenetur filios suos instituere, sive sint, sive non in sua potestate tempore ejus mortis, vel legitime exhæredare, aut præterire.

Filiorum species, una est generata ex sacramento matrimonii, & isti dicuntur legitimi, & naturales, & sunt à n. 24. ad 27, quæ filiorum species approbata est à jure, & ita dicuntur, quia nascuntur ex coitu solemnizzato, & à jure approbato, nam naturales sunt, quia naturaliter procreantur, & legitimi, quia intervenit solemnitas juris.

Alia est, quæ nec approbata, nec reprobata dicitur, & isti sunt naturales tantum; sic dicti, quia ex conjunctione naturali procreantur, sed non legitimi, quia à jure nec dignitatem, nec approbationem habent, prout sunt nati ex concubina, quæ in omnibus æquiparatur uxori, præterquam ad dignitatem, & debet esse in domo ducta, non libidinis, sed procreationis causa, ut est n. 32, nam licet sit procreatus à n. 16, non tamen ut à n. 24.

Alia denique est filiorum species reprobata, isti sunt qui ex damnato, & reprobato coitu nascuntur, ut sunt expurei, quasi nati extra puritatem, & jus naturale; isti non possunt institui, nec matri succedunt, ut est n. 31, qui neque à concubina, neque à conjuge propria procreatus est.

Sed tamen pater non cogitur filium suum instituere, & valet testamentum, dummodo à patre filio aliquid jure legitimæ legetur, seu de eo mentionem faciat.

Posthumus est triplex: 1. Qui post mortem patris nascitur, & iste dicitur proprie posthumus: 2. Qui vivo adhuc patre, sed post testamentum conditum nascitur, & iste dicitur improprie posthumus: 3. Qui nascitur

citur avo ex filio, vel filia, vivo adhuc avo, & iste dicitur impropriissime posthumus.

Posthumus habetur pro nato ad sui favorem, & commodum, & semper est instituendus, cum non possit ulla ratione erga patrem ingratitude causam simulari.

Liberi primi gradus quidam sunt primogeniti, quidam secundogeniti, quidam tertio geniti, & ulterioris genitus, ut sunt à n. 24. ad 27.

Primogenitura dicitur jus prioritatis, honorificum, & utile competens filio, qui prius est in ordine nascendi, ut n. 24.

Primogenitus dicitur ille, qui de utero matris prius exivit, dum est contentio de duplici partu, cum simul uno impetu duo, aut plures nasci non possunt, natura id non permittente.

Primogenitura de sui natura extenditur in futurum, etiamsi esset vocatus primogenitus in numero singulari; quia in ultimis voluntatibus numerus singularis sæpe pro plurali accipitur.

Primogenitura potest constitui tam in masculo, quam in fœmina, pro conservanda agnatione, & regulatur ad instar feudorum.

Etiam primogenitus dicitur ille qui proxime sequitur, etiamsi secundo, tertio, vel alio loco natus sit, quando primus mortuus est sine liberis, vel est incapax.

Primo, vel secundogenitus consideratur naturaliter, & civiliter: naturaliter dicitur ille, qui vere primo, vel secundo loco natus est; civiliter autem, qui post mortem primo, vel secundo loco geniti, illius locum assumit.

Pariter dicitur primogenitus filius, sive neptis, natus ex primogenito præmortuo; & talis neptis, sive filius admittitur ad primogenituræ successionem, excluso patre, sive alio filio secundogenito, licet ætate majore,

cum ipse neptis primogenitus repræsentet personam patris sui.

Primogenitus naturalis legitimatus per subsequens matrimonium non tollit jus primogenituræ jam legitime nati, cum legitimatio non retrahatur in præjudicium alterius.

De liberis secundi gradus.

Si non adsunt liberi primi gradus, sed secundi, tunc habent locum liberi istius secundi gradus, qui institui debent, isti sunt neptes, proneptes, & reliqui descendentes, sed sero contingit, ut pater videat tertiam generationem.

Sed quia potest casus evenire, quod filius hæres à patre institutus præmoriatur testatori, potest provideri his verbis: *Et eo præmortuo, ejus filios, neptes meos, prout ab eo fuerint instituti, vel gradatim, aut modo alio, quo testatori placuerit, & tunc licet pater moriatur, nullo alio condito testamento, incipit neptis in loco ejus patris succedere, & efficitur hæres avi sui.*

De legitimis tantum.

Legitimi tantum sunt adoptivi, & adrogati, si tempore mortis patris adoptantis, vel adrogantis sunt in ejus potestate, tenetur eos instituere, vel exhæredare sicut legitimi, & naturales, aliàs rumpitur testamentum. Si vero non sunt in potestate adoptantis, vel adrogantis tempore istius mortis, tunc nec instituere, nec exhæredare tenetur, quia emancipatione nomen filii perdidierunt, & extraneorum loco sunt.

Sed vero legitimi tantum non sunt de linea, cum hæc sit ordinata collectio personarum ab uno stipite descendentium, diversos continens gradus, deinde non sunt in aliquo gradu, cum hic sit habitudo, sive mensura personarum quota consanguinitatis conjunctarum, ideo-

ideoque non sunt neque instituendi, neque exhæredandi.

Licet non sint de linea naturali, sunt tamen de linea civili pene naturam imitando, sicque adoptans, vel adrogans tenetur eos instituere, vel exhæredare, si tempore mortis eos habet in potestate, quia lex civiliter eos fecit; sed quidam tenent, quod licet sint civiliter filii, non habent realem naturalitatem requisitam in successione, etsi naturales tantum, quia naturaliter sunt de linea, licet non sint de gradu, pater non tenetur eos instituere si legitimos, & naturales habet, ita nec legitimos, quia esset in præjudicium legitimorum, & naturalium, qui habent jus quæsitum in bonis paternis.

Pater autem naturalis filium, quem alteri dedit in adoptionem, tenetur eum instituere, quando non est in potestate patris adoptivi.

De naturalibus tantum.

Si pater legitimos, & naturales habet filios, & etiam naturales tantum, istosque pariter vult instituere, eis tantum relinquere potest duodecimam partem bonorum suorum; si vero legitimos, & naturales non habet, sed parentes, vel alios ascendentes, tunc cogitur relinquere eis tertiam partem bonorum suorum pro legitima portione, & in reliquo naturales instituere; si autem nec descendentes, nec ascendentes habet, tota tunc in hæreditate potest naturales instituere.

Mater autem, & ascendentes lineæ maternæ tales liberos naturales instituere tenentur, ac si essent legitimi, & naturales, nisi mater esset illustris, aut essent incestuosi.

At si isti filii naturales tantum fuerint legitimati per subsequens matrimonium patris cum concubina, vel rescriptum Principis tenentur, pater eos instituere posteriori

riori loco, cum tollere non possint primogenituram, licet sint primo nati.

De expureis, nec legitimis, nec naturalibus.

Expurei non tenentur nec à patre, nec à matre institui, nec filii sunt nominandi, quia neutri succedunt.

Sed si fuerint habilitati, & dispensati à Principe, institui possunt, ut supradictum est de naturalibus.

Licet non sint habilitati, & dispensati, tamen favore alimentorum potest eis relinquere, & si fœmina sit, etiam causa dotis.

Si testator ex filio expureo habet neptem legitimam, & naturalem, quia expureus matrimonium contraxit, tenent aliqui quod avo paterno ex testamento, vel ab intestato succedere potest, quia non sicut pater expureus ex damnato coitu natus est, sed ex legitimo matrimonio.

Alii contrarium tenent, aientes, quod sicut expureus non potest dici filius ejus, qui eum generavit, ita filius expurei non potest dici neptis, quia hæc vox neptis supponit legitimitatem, & naturalitatem filii, quæ non sunt in expureo.

De ascendentibus.

Si in medio non sunt descendentes, de ascendentibus est opus mentionem facere, eosque instituere, eodem modo quo liberos instituisset, si habuisset, & si patrem, & matrem, vel alterum eorum habet, sufficit, quod eos, seu illum, quem habet instituat, nulla de aliis ascendentibus facta mentione; si vero patrem, vel matrem non habet, tunc de avo, & avia mentionem facere debet, nisi forsan aliqua legitima causa intersit, propter quam merito eos exheredare possit, sequendo gradibus, prout de liberis est dictum.

Sed tamen potest testator ascendentibus, relicta legitima,

gitima, extraneum instituere, eodem modo quo pater, servata liberis legitima, potest quemcumque voluerit sibi hæredem facere.

De transversalibus, seu collateralibus, & extraneis hæredibus.

Si testator descendentes, neque ascendentes habet, vel habet, & non in toto, sed in parte eos instituere vult, potest extraneos instituere in universo.

Frater non tenetur fratrem, vel sororem, istorumque liberos instituere, eosque præterire, nec exhæredare potest, nec isti testamentum querelare possunt, nisi illorum loco persona turpis instituta fuerit.

§. V.

De Exhæredatione, & Præteritione.

Exhæredare est, qui ad successionem, & hæreditatem nostram legibus vocatur, ab eadem expresse excludere, seu exhæredare, & alienum instituere.

Unde exhæredatio est, ab hæreditate exclusio expresse, & solemniter facta.

Præterire est, neque admittere, neque excludere illum, qui jure nobis erat successurus, sed silentio omittere.

Sicque præteritio est, non nominatio filii, nec instituendo, neque exhæredando.

Unde exhæredatio, & præteritio utraque liberos tantum, & parentes respicit, idest eos, qui jure naturæ hæreditas nostra debetur, & qui ob id contra testamentum etiam ad hæreditatem admittuntur.

Filii nati interdum exhæredari possunt, quando videlicet ingrati in parentes extiterint, easque ingratitude causas commiserint.

Ut exhæredatio valeat, requiritur: 1. Quod nominatim,

tim, & expresse fiat: 2. Quod fiat pure: 3. Quod fiat de tota hæreditate, pro parte enim fieri non potest: 4. Quod cum causa legitima, & inserta in testamento fiat.

Causæ legitimæ sunt quatuordecim: 1. Si qui parentibus manum intulerint: 2. Si gravem, & inhonestam injuriam injecerint: 3. Si in criminalibus causis accusaverint, vel de crimine capitali, nisi sit adversus Principem, vel Rempubicam: 4. Si cum maleficis malefici versentur: 5. Si vita parentum veneno, aut alio modo insidiati fuerint: 6. Si cum noverca, aut patris concubina se immiserint, vel rem habuerint. 7. Si calumniatores contra parentes extiterint, & ob id eos gravia dispendia sustinere fecerint: 8. Si pro parentibus carceratis, vel pro persona, vel pro debito eorum fidejubere, cum idonei fuerint, noluerint: 9. Si testari parentes prohibuerint: 10. Si præter voluntatem patris filii inter arenarios, vel mimos versentur, & in ea professione permanserint, nisi forte parentes ejusdem conditionis fuerint: 11. Si filia noluerit nubere, sed vitam luxuriosam tenere, nisi pater distulerit illam maritare ultra 25. annos: 12. Si parentes furore occupatos filii neglexerint obsequio, & cura sua prosequi, & nutrire: 13. Si parentes captivos renuerint, seu non festinaverint redimere: 14. Si filii fuerint hæretici, & parentes catholici.

Filius existens in patria potestate, si aliquam ex supradictis causis commiserit, propter quas exhæredari potuerit, si postea efficiatur Clericus, vel Monachus, exhæredationi amplius locus non erit.

Filius legitime exhæredatus potest evitare exhæredationem, si patre vivente poenituerit, vel cum eo reconciliaverit, vel remissionem obtinuerit, quibus casibus ipso jure ipsa exhæredatio intelligitur adempta, & revocata.

Pater tres habens filios, duos hæredes fecit, tertium quem habere sciebat, non nominavit, præsumitur hunc tacite exhæredasse, quia vocando, & disponendo pro duobus illis, dicitur de alio cogitasse, & exhæredem esse voluisse, cum sicut sciat esse filium, ut duos alios.

Filia nubens sine consensu, vel invito patre non potest exhæredari, quia dicta causa non est ex supra narratis; & licet de jure canonico necessitas paterni consensus remissa sit, tamen hodie requiritur vigore Regiæ Pragmaticæ, & patre renuente, si dissensus rationalis non est, à iudice laico suppletur.

Ut filius dicatur legitime exhæredatus, est necessaria expressio causæ in testamento, quæ est probanda, cum sola expressio non sufficiat.

Si tamen filius propria manu scripsit testamentum, in quo exhæredatio continetur, non opus est causæ expressione.

Si filius exhæredatus abstineat, non contradicat, & legatum agnoscit, videtur confirmare patris voluntatem.

Filius exhæredatus si habet liberos exhæredantis neptes, istos caute instituere debet exhæredans, ne mortuo exhæredato succedentes illi rumpant testamentum, non enim exhæredato filio, exhæredati dicuntur simul & neptes, cum privatio filii non sit neptuum privatio. Posthumus, infans, proximus infantia, exhæredari non possunt, & aliqui tenent nec proximus pubertati. Similiter ingratitude matris non est neptuum ingratitude.

Liberi possunt parentes exhæredare septem de causis: 1. Si parentes liberos suos ad interitum vitæ tradiderint, in quo tamen perduellionis crimen excipitur: 2. Si liberorum vita veneno insidiati fuerint: 3. Si cum nuru, vel concubina filii rem habuerint: 4. Si filios furiosos neglexerint: 5. Si filios suos testamentum fa-
cere

cere prohibuerint in rebus, in quibus facultatem habent testandi: 6. Si filios captivos in vinculis mori sinant: 7. Si non sint ipsi orthodoxi, aut catholicæ fidei. Et opus est quod de causa fiat mentio in testamento, ut de ea constare possit.

Si quis prætereat filium cum adjecta causa ingrati- tudinis, talis præteritio præsumitur exhæredatio.

Præteritio fieri non debet nisi cum magnis, dignis- simisque causis, cum odiosa sit, & naturali officio contraria, nam per eam tollitur continuatio dominii.

Tamen præteritio sine causa valet, si præteritus fi- lius abstineat, non contradicat, & legatum agnoscat, quia patris voluntatem confirmare videtur.

Filii dicuntur præteriti si non sunt directe instituti, vel exhæredati, ita ut non sufficit illis relinquere jure legati, vel fideicommissi.

Præteritio filiæ facta à matre, vel avo materno, de jure novissimo annullat testamentum ipso jure, licet fi- lia sit in Monasterio professa.

Per filii naturalis præteritionem non rumpitur testa- mentum.

Præteritio filii legitimi cum clausula, *sine prejudicio jurium ab intestato venientium*, non rumpit testamentum.

Neque rumpit testamentum præteritio filii expositi, quia consideratur tanquam vulgo quæsitus, qui nul- lum certum habet patrem.

Posthumus, qui natus vivus, & perfectus, etiam si secto matris ventre extractus, licet postea illico dece- dat, aut etiam licet sit imperfectus, dummodo tamen vitalis sit, & non abortivus, & possit secundum tem- pus matrimonii legitimus judicari, nec monstrui for- mam habeat, rumpit testamentum, sive patris, sive matris, si in eo fuerit præteritus.

Tamen posthumus scienter præteritus non rumpit testamentum, quando in eo adest clausula codicillaris concepta per verba futuri temporis, nam tunc sustinetur in vim fideicommissi, & hæreditas hæredi scripto restituenda est.

Præteritio patris, vel matris facta à filio, qui proprios habet filios, non annullat testamentum, quia prima causa est filiorum, & descendentium.

Parentes præteriti non possunt annullare testamentum; si vero de jure succedere debent, tunc eorum præteritio testamentum annullat.

Quia frater non tenetur fratrem, vel sororem, nec istorum liberos instituere, ita neque exhæredare, vel præterire, & eorum exhæredatio, vel præteritio semper est inepta, & inofficiosa.

§. VI.

Qui veniant Hæredum Appellatione, & de Hærede.

Hæredum appellatione in ultimis voluntatibus veniunt tam masculi, quam fœminæ, nisi testator aliud disposuerit.

In renunciationibus hæredum appellatione veniunt tantum hæredes sanguinis, & descendentes.

Successorum, & hæredum appellatione in testamento absque conditione: sine filiis, veniunt quicumque successores, & hæredes bonorum, etiam extranei.

Error nominis appellativi non vitiat dispositionem, si non est magna differentia, quia in nomine appellativo obstat quando sunt imposita à rerum natura, seu jure gentium, secus autem in nominibus impositis à jure civili, ut procurator, & similibus,

Neque error vitiat institutionem hæredis, ut si quis instituat Titium, qui servus est, credens esse liberum, admittitur servus, & acquiritur domino propter propositum testatoris.

Si testator instituat aliquem, qui Monachus sit, ignorante testatore talem esse, acquiritur Monasterio.

Testator instituens aliquem, dubitans an institutus sit, vel non ejus filius, etiam si dubitatio esset communis, tunc non vitiat institutionem.

Error in parte, vel patria, aut in aliqua qualitate hæredis, non vitiat institutionem, nisi qualitas fuerit inductiva dispositionis, ut si pater dixerit quod instituebat filium, vel consanguineum suum, qui si non est, causa videtur finalis, & vitiat.

Si error est in nomine testatoris vitiat testamentum, quia qui errat in proprio nomine præsumitur demens, & ratione dementiæ non valet testamentum.

Testator si errat in nomine filii sui hæredis instituti, quia ex quo nomina filiis imposita sunt ad placitum parentum, præsumitur dementia, & non valet testamentum.

Si filius instituat patrem, errans in patris nomine, præsumitur ex dementia errare, & non valet dispositio.

Hæres gravatus de restituendo, cum prohibitione alienandi, si creditor sit super bonis restituendis occasione dotis sibi promissæ de voluntate testatoris, potest pro rata sui crediti censum imponere, maxime si fecit inventarium.

Si est gravatus restituere hæreditatem, non tenetur restituere melioramenta.

Gravatus de restituenda hæreditate, & alienare prohibitus, si habet jus detrahendi legitimam, & trebellianicam,

lianicam, census imponendo super re hæreditaria, vel alienando, censetur hujusmodi rem eligere pro sua legitima, & trebellianica, pro quarum rata sustinetur impositio, seu alienatio.

Nam hæres gravatus potest sibi solvere debita sua, confecto tamen inventario, ad quam confectionem potest cogi ille cui hæreditas est restituenda.

Si gravatus sua particulari diligentia aliquid recuperat de bonis hæreditariis, non tenetur restituere, sed proprium efficitur.

Hæres solvens relicta in ultima voluntate minus solemne, licet invalida respectu defectus solemnitatum, censetur eam approbare; contrarium vero si est imperfecta ratione voluntatis.

Gravatus restituere filiis non censetur gravatus restituere neptibus, quia isti non veniunt sub nomine filiorum, nisi agatur de passiva, vel activa vocatione.

Licentia simpliciter concessa disponendi, adaptatur tam ad ultimas voluntates, quam ad contractus; si autem sit concessa durante vita, non censetur data facultas testandi, sed disponendi inter vivos.

Hæres semel factus hæres non potest desinere hæres esse.

Hæres gravatus potest facere detractiones sequentes:

1. *Æs alienum solutum pro defuncto* : 2. *Credita propria ipsius hæredis* : 3. *Legata per ipsum hæredem de suo soluta* : 4. *Expensas funeris, ac ultimæ voluntatis, seu infirmitatis, si fecit inventarium, aliàs secus* : 5. *Expensæ inventarii, & publicationis testamenti* : 6. *Expensæ gratia fructuum reponendorum factæ* : 7. *Expensæ factæ pro litibus, & tutione bonorum, dummodo sint factæ nomine fideicommissario, & pro utilitate fideicommissi, non autem ad propriam utilitatem, &*

ad

ad exclusionem competitorum : 8. Expensæ in renovando instrumentis censualibus : 9. Dotis maternæ debita gravato : 10. Dos debita uxori : 11. Lucrum dotale : 12. Melioramenta : 13. Legitimam, trebellianicam, & falcidiam.

Hæres fiduciarius potius dicitur custos, & depositarius, quam verus hæres, & tenetur restituere hæreditatem totam, & fructus, nulla reservata quantitate.

§. VII.

De Substitutionibus.

Institutio est primus gradus omnium institutionum.

Secunda hæredis institutio nihil aliud est quam substitutio.

Substitutio est privativa institutio, quia in defectum institutionis incipit; unde si institutus primo loco non adeat hæreditatem, quia nolit, vel non possit, substitutus obtinet.

Substitutio est secundaria, & conditionalis institutio.

Dicitur *secundaria* quocumque sit loco, quia non potest esse sine institutione.

Ponitur *conditionalis*, quia quælibet directa substitutio fit cum conditione.

Et ideo substitutio quandoque efficitur prima institutio, & obtinet primum locum, quando est facta per verbum instituo; quia si primus institutus non extat, vel non adit, vel non est in rerum natura, habetur pro non scripto, & substitutus per verba directa, & verba institutionis obtinet primum gradum, & capk propria auctoritate, ac dicitur hæres cum effectu.

Substitutus duobus, nisi decesserint ambo, non admittitur, & ideo requiritur mors utriusque.

Si testator substituat plures expressis propriis nominibus, æqualiter substituti præsumuntur.

Quando testator instituit plures partibus singulis eorum assignatis, deinde uno instituto substituit in quarta parte, reliquos hoc casu, si locus sit substitutioni, singuli illi substituti pro portionibus eorum hæreditatis, in quibus fuerunt, ex ea substitutione consequuntur.

Substitutio facta de proximioribus agnatis, intelligitur de proximioribus testatoris, & non gravati.

Si fit substitutio puellæ in eventu quod Monialis efficiatur, licet sit retrahens à religione, & vita contemplativa, valet, & statim facta professione admittitur substitutus, excluso Monasterio, & morte naturali non spectata.

Substitutio facta alicui in eventu quod vitam sacerdotalem, seu monachalem elegerit, valet, & conditione verificata admittitur substitutus, morte naturali instituti minime spectata.

Substitutio est duplex, alia directa, & alia obliqua.

Directa est, cum hæres directe, vel immediate suo jure succedit testatori; vel est, qua quis capit hæreditatem defuncti, nullo alio mediante.

Obliqua est, quando substitutus capit hæreditatem de manu alterius.

Directa substitutio tantum fieri potest in testamento, non vero in codicillis, obliqua vero in testamento, & codicillis fieri potest, & si in istis facta sit obliquatur, & sustinetur in vim fideicommissi, quia hæreditas non potest dari, neque adimi in codicillis, etiam inter liberos; tamen quidam tenent, quod cum substitutioni præcedere debeat institutio, ista nequit fieri in codicillis, ita neque aliqua substitutio.

Substitutio variis fit modis, uno hæredi plures substitui possunt, & è contra. Item plures hæredes invicem substituti, & quando plures hæredes partibus imparibus sunt instituti, & invicem substituti, non facta partium mentione, censentur ex iis partibus substituti in quibus sunt instituti, & ita partes in institutione expressæ, in substitutione repetitæ intelliguntur.

Obliqua substitutio est duplex, una est à principio, ut cum testator substitutum Titium, gravat hæreditatem restituere Seyo, iste Seyus est oblique substitutus, quia capit hæreditatem mediante Titio.

Alia obliqua dicitur, quæ continetur in compendiosa, ut quando testator instituit filium suum impubere, & ei quodcumque decedenti, Joannem substituit, nam talis substitutio post pupillarem incipit obliquari in fideicommissariam.

Differentia inter directam, & obliquam substitutiones ex verbis dignoscitur, quibus conceptæ sunt.

Ipsa enim verba in triplici sunt differentia: Quædam sunt directa, ut *Hæres esto: Dominus esto: Hæredem instituo*, & similia, quæ sui natura important, ut ille, cui relinquitur, sua manu, & propria auctoritate capit.

Quædam obliqua, quibus scilicet per mediam personam, & ministerium alterius concedimus, ut cum testator dicit: *rogo, volo, committo, mando restituere bona mea*, &c.

Quædam denique sunt communia, quæ utrique significationi conveniunt, videlicet adjecta universitati verborum, ut *Titius hæreditatem meam capiat*, vel *ad Titium hæreditatem meam perveniat*, directa intelliguntur; adjecta autem rei certæ sunt obliqua, ut *Titium fundum capiat*, *ad Titium perveniat*.

Sed tamen in hoc Principatu Cathalonix inter ver-

ba directa, & obliqua nulla fit differentia vigore Constitutionis.

Substitutio conditionalis non transit ad hæredem substituti, nisi de illo specialiter facta sit mentio, vel nisi conditio sit talis, quod veniat iudicio testatoris.

Qualitas, seu conditio adjecta institutioni non censetur repetita in substitutione.

Qualitas legitimitatis expressa in uno gradu substitutionis, non censetur regulariter repetita in alio.

Masculinitatis qualitas apposita, & requisita in expresse vocatos, non censetur repetita quoad positos in conditione.

Qualitas masculinitatis posita in una parte testamenti, non censetur repetita in aliis.

Substitutio directa est quintuplex, nempe vulgaris, pupillaris, exemplaris, reciproca, seu breviloca, & compendiosa.

§. VIII.

De Vulgari Substitutione.

Vulgaris substitutio est subrogatio quædam hæredis in locum prioris, si ille defecerit, facta.

Vel est, secundi hæredis in locum, ac gradum primi non adeuntis, institutio.

Aut est illa, quam facit testator hæredi suo in eventum, quod non adeat, vel non possit adire suam hæreditatem.

Et sic definitur, scilicet, illa quæ fit à quolibet de vulgo cuilibet de vulgo instituto, & non exhæredato, verbis negativis tacite, vel expresse.

Dicitur *vulgaris*, quia à quolibet idoneo cuilibet idoneo fieri potest.

Ponitur *instituto*, & non *exhæredato*, quia solum institutis fieri potest.

Adjicitur *verbis negativis*, quia fieri debet per verba negativa, & ideo vulgaris substitutio comprehendit *noleitatis*, & *impotentia* actum.

Denique exprimitur *tacite*, vel *expressè*, quia vulgaris substitutio est duplex, una expressa, & alia tacita.

Expressa est illa, quæ fit verbis negativis expressis, qualiacumque illa sint generalia, specialia, vel singularia: ut *Titius mihi hæres esto*, & *si Titius hæres non erit, Seyus sit hæres*, vel *Seyum substituo*; tacita vero, quæ fit verbis affirmativis, negationem tamen tacite inducentibus, & *Titium*, & *Seyum mihi hæredes instituo*, & *eos ad invicem substituo*, sicque fit verbis generalibus: *Et si Titius hæres non erit, Seyus sit hæres*, & sic fit verbis specialibus, vel *alter ex illis si vixerit mihi sit hæres*, & sic verbis particularibus.

Hoc casu, si uterque vixerint, ambo erunt hæredes, si vero unus noluerit, vel non potuerit esse hæres, alter solus hæres erit, & tunc verba illa, *eos ad invicem substituo*, non important reciprocam substitutionem, sed statim facta aditione expirat, & ad hæredes suos transmittitur, & non ad substitutum.

In substitutione vulgari expressa non cadit tacita conditio, *si sine liberis*, nec quando vulgaris expressa est comprehensa in compendiosa.

Si autem est comprehensa, seu contenta in aliis substitutionibus, subintelligitur dicta conditio, si sine liberis.

Substitutio vulgaris expressa continet tacitam pupillarem, etiam continet tacitam exemplarem.

Substitutio vulgaris, & pupillaris simul eodem tempore esse non possunt.

Effectus vulgaris substitutionis expressæ sunt: *Primò*, quod vulgaris in uno casu expressa trahitur ad alium casum non expressum, & si *Titius hæres esse noluerit*, trahitur etiam ad casum si non potuerit.

Secundò, quod per substitutionem vulgarem, de suo, & necessario facit voluntarium, jura tamen suitatis non tolluntur.

Tertiò, facit substitutum admitti ad hæreditatem, si institutus non sit hæres, & tantum consequitur ex substitutione, quam consequutus esset institutus ex institutione.

Quartò, quod testamentum potest assumere vires à substitutione, nisi fuerit ruptum per negationem, vel nullum per exhæredationem, aut præteritionem.

Quintò, quod perveniunt tantum bona testatoris ad substitutum, & non propria illius, cui fuit substitutus.

Sextò, quod verba *hæres non erit* comprehendunt non solum institutos ipsos, sed etiam qui ex eorum persona procedunt, ut subintelligantur, & alios hæredes non fuerint, cum substitutus vulgaris excludatur per hæredem hæredis mortui infra tempus deliberandi.

Septimò, quod suus, vel minor repudians hæreditatem potest poenitere, & intra tempus restituitur, excluso substituto, omnia in eodem statu existentia.

Octavò, quod per vulgarem expressam succedit substitutus testatori, per tacitam pupillarem pupillo, cui facta est substitutio, si decedat intra pupillaria, nondum hæres factus.

Nonò, quod vulgaris expressa continet tacitam pupillarem; fallit tamen in casibus sequentibus.

Primò, si mater pupilli, vel avia sint medio, quia tunc non præsumitur testator extraneos suæ posteritati præferre voluisse.

Secundò, si testator uteretur aliquo verbo taxativo, ut si dixerit: *Instituo Titium filium meum, & si hæres non erit, tantummodo Seyum substituo*, vel si dixerit: *Seyum tantum vulgariter substituo*.

Tertiò, si testator utrumque casum providisset sic: *Instituo Titium, & si hæres non erit, substituo Cayum; & si Titius hæres fuerit, & intra pupillaria moriatur, substituo Mevium*.

Quartò, si inæqualibus personis, ut majori, & minori filiis facta sit substitutio, ut pater duos habens filios, unum puberem, & alterum impuberem, & eos reciproce substituit, illa vulgaris expressa contenta in reciproca non continet tacitam pupillarem respectu impuberis.

Si pater duos habens filios impuberes dixerit: *instituo Cayum, & Titium filios meos, & si Cayus hæres non erit, substituo Mevium; si vero Titius hæres erit, & in pupillari ætate decesserit, substituo Seyum*; tunc illa vulgaris facta Cayo non continet tacitam pupillarem in ejus personam.

Expirat vulgaris substitutio adita hæreditate, quo ad omnes substitutos, per primum institutum, & deinceps substitutus non admittitur.

Etiam expirat si substitutus præmoriatur instituto, vel ante aditam hæreditatem, & etiam si testamentum deficit, & non valet.

Vulgaris tacita contenta in pupillari expressa, hæc expirante, si nondum hæreditas est adita, illa regulariter non expirat.

Substituto antiquiore de domo, primo admissio, extinguitur substitutio.

De Pupillari Substitutione.

Pupillaris substitutio est illa, quæ fit à patre generis masculini liberis impuberibus in potestate existentibus, institutis, vel exhæredatis, verbis affirmativis, tacite, vel expresse.

Dicitur à patre, & non ab alia persona, quia solum ascendentes possunt substitutionem pupillarem facere.

Ponitur generis masculini, quia mater, nec alius ascendens possunt illam facere.

Adjicitur liberis, & non extraneis, nam eis, qui non sunt in potestate, nequit pupillariter substituere.

Adscribitur impuberibus, quia puberibus, adultis, vel majoribus, quibus, cum sint constituti in ætate testandi, pater non potest pro eis testari, sicut pro impubere.

Sequitur in potestate existentibus, quia liberis emancipatis, & aliis personis, qui non sunt in patris potestate, fieri non potest.

Canitur institutis, vel exhæredatis, quia opus est quod illis quibus fit sint instituti, vel exhæredati cum causa legitima, aliàs non valeret pupillaris substitutio.

Legitur verbis affirmativis, quia sicut in vulgari substitutione sunt necessaria verba negativa, ita in pupillari affirmativa.

Denique tacitè, vel expresse, quia pupillaris substitutio est duplex, una tacita, & alia expressa.

Licet dicatur liberis impuberibus in potestate existentibus, nihilominus fieri potest posthumo, & si fit masculo, non habet locum nata posthuma fœmina, cui mater succedit, quia ista substitutio non extenditur de persona ad personam.

Si hæc pupillaris substitutio fit posthumo, etiam si
non

non nascatur, habet locum, tanquam vulgaris tacita sub illa comprehensa.

Licet in expositione definitionis dicatur, quod solum ascendentes possunt facere hanc substitutionem, tamen solum fieri potest à patre, quia tantum pater habet liberos in potestate, requisitum necessarium, ut dicitur in ipsa expositione; & cum jus patriæ potestatis, inter alia, tollatur morte naturali patris, ejus filii efficiuntur sui juris, etiam si sint infantes, & sic ab ascendente lineæ masculinæ quàm à patre fieri non potest.

Licet dicatur, quod substitutio est secundaria, & conditionalis institutio, & quod præsupponit quod alius sit institutus, & quod omni substitutioni præcedere debet institutio, ut primus gradus; sicque si impubes est exhæredatus, non potest ei pupillariter aliquem substituere, dicitur, quod fere omnes AA. hoc tractantes tenent, quod impubes debet esse institutus, vel exhæredatus.

Merito sic, nam impuberi debetur legitima in bonis paternis à die mortis patris competens, & cum in ætate pupillari testare nequit, licitum est patri pro eo testari, sicque substitutus efficitur hæres impuberis exhæredati per substitutionem pupillarem, per quam non succedit patri impuberis, sed per institutionem. Exemplum: Titium filium meum ætatis undecim annorum, quia talem exhæredationis causam mihi commissit, exhæredo; & si in pupillari ætate decesserit, ei substituo, & in omnibus bonis meis mihi hæredem instituo Cayum.

Expressa pupillaris substitutio est illa, quæ fit verbis expressis, ut Titium filium meum impuberem ætatis tot annorum mihi hæredem instituo; & si mihi hæres erit, & decesserit in pupillari ætate, Seyum substituo.

Tacita vero est illa, quæ continetur in vulgari expressa, non vi verborum, sed potestate legis: ut Cayum filium meum mihi hæredem instituo; & si mihi hæres non erit, quia noluerit, vel non potuerit, Mevium substituo.

In pupillari expressa requiruntur sequentia: 1. Quod ille cui fit sit de liberis: 2. Quod sit impubes: 3. Quod sit in potestate substituentis: 4. Quod non sit recassurus in alterius potestate post mortem patris substituentis: 5. Quod non desinat esse in potestate substituentis ante istius mortem: 6. Quod pater sibi faciat testamentum eodem tempore: 7. Quod impubes sit à patre institutus, vel exhæredatus: 8. Quod adeatur hæreditas patris.

Pupillaris expressa continet tacitam vulgarem, quia testator voluit hæreditatem suam ad substitutum pervenire mediate, nempe mediante persona pupilli, nam hæres hæredis fit testatoris hæres.

Si testator dixerit: Et si filius meus decesserit in pupillari ætate, Titius mihi, & illi sit hæres, est vulgaris, & pupillaris expressa, licet dicatur quod vulgaris, & pupillaris expressa simul eodem tempore esse non possint, quia hoc est intelligendum quando pupillus est exhæredatus.

Si autem pater dixerit: Et si filius meus decesserit infra decimum annum, ei substituo Cayum, licet sit restrictiva ad brevius tempus quam ætatis pupillaris, nihilominus continet expresse tacitam vulgarem.

Non tamen pupillaris expressa continet tacitam vulgarem, quando substitutus non potest succedere testatori, quia incapax, sicut filius naturalis, & si capax bonorum pupilli, non tamen si superest legitimus qui succedere velit.

Neque dicta pupillaris expressa continet tacitam vulgarem, quando pupillaris est facta magno intervallo post testamentum patris.

Quando pupillaris expressa est facta favore certæ personæ, ut matris ipsius testatoris, non continetur in illa tacita vulgaris; secus si substitutus est unus ex descendantibus.

In pupillari substitutione certæ sunt substituendæ personæ, nam pater in bonis maternis tenetur substituere fratres, aut proximiores consanguineos matris usque ad quartum gradum, quibus devenire debent bona materna.

Effectus pupillaris substitutionis sunt: 1. Quod pupillaris expressa continet tacitam vulgarem, exceptis aliquibus casibus.

2. Quod per hanc substitutionem succeditur ipsi pupillo in omnibus bonis illius undecumque quæsitis, quam à testatore.

3. Quod potest facere filium impuberem hæredem necessarium, sicut ipsi sibi fecit.

4. Quod testamentum patris, & tabula pupillaris dicuntur, & sunt idem, & unum testamentum, quod verum est, quo ad causam efficientem, idest testamentum. Item quo ad solemnia sufficit testamentum patris esse clausum, & similia; sed quo ad hæreditates sunt duo testamenta.

5. Quod annullato testamento paterno quo ad institutionem ex causa exhæredationis, vel præteritionis, pupillaris substitutio nihilominus firma manet.

6. Quod substitutio pupillaris expressa excludit à successione matrem pupilli, & etiam excludit omnes ascendentes lineæ foemeninæ, etiam quo ad legitimam.

Pupillaris substitutio contenta in compendiosa etiam excludit matrem, sicut expressa pupillaris etiam in legitima.

gitima, quia dicitur expressa saltim verbis generalibus.

Tacita pupillaris substitutio non excludit matrem, nec aviam, juxta communem opinionem; tamen si in dicta substitutione sit substitutus frater pupilli, repellit matrem, & omnes venientes ab intestato, & substitutus apprehendit omnia bona testatoris, & pupilli; si vero persona extranea est substituta, mater repellit substitutum, & iste nihil apprehendit.

Tamen mater per tacitam pupillarem excluditur his modis.

1. Si pater aliquando inter aliquos dixisset: se nolle bona sua ad matrem pervenire.

2. Quando aliquid relinquit matri, & contentæ esse jussit.

3. Si pater relinquisset aliquid annuum matri, donec vidualiter egerit.

4. Si ipsa mater indigna videatur tali successione, nec ita merita.

5. Si substitutio est facta favore agnationis, ut si pupillo substitutus sit frater.

Pupillaris substitutio expirat: 1. Si pater deportetur.

2. Si pater fecerit aliud testamentum, quia primum revocatur.

3. Si non adeatur hæreditas patris ex testamento.

4. Si substitutus non potest esse capax in toto, vel in parte, ut expurei, vel incestuosi.

5. Si pubertas advenit, aut factus sit pubes.

6. Si filius institutus adoptetur, vel adrogetur ab aliquo, quo tamen casu sibi hac cautione præcipere potest, ut stipuletur ab adoptante, vel adrogante, salvam sibi fore substitutionem, quod fieri potest.

7. Si conditio apposita defuerit.

8. Si pupillus liberos legitimos, & naturales susceperit.

9. Si pupillus Religionem ingrediaur, quia tunc Monasterium est loco filii, & etiam quia tunc filius exit à patria potestate, etiam vivente patre.

10. Per emancipationem, nisi iterum adoptetur, & revertatur in patria potestate, & in ea reperiat tempore mortis patris substituentis.

11. Per deportationem, vel capitis diminutionem pupilli, vel patris.

12. Si substitutus præmoriatur, quia spes pupillaris substitutionis non transmittitur.

Pupillaris substitutio differt à vulgari, quia ista expirat adita hæreditate, illa vero non, sed supradictis duodecim modis.

§. X.

De Exemplari Substitutione.

Exemplaris substitutio est, quam faciunt parentes liberis suis adultis, vel etiam perfectæ ætatis, qui propter furorem, vel alium morbum testari non possunt.

Vel est, quæ fit à parente utriusque sexus liberis adultis, vel majoribus institutis, vel exhæredatis, ratione furoris, vel dementiæ.

Dicitur à *parente utriusque sexus*, quia fieri potest tam à patre, quam à matre, dummodo tamen non transeat ad secundas nuptias, & honeste vivat.

Fieri potest à matre, quia in exemplari substitutione non requiritur patria potestas, sed sufficit potestas naturæ, & generationis.

Si pater substituit exemplariter unum, mater vero alium, substitutus à patre admittitur in bonis paternis, substitutus vero à matre in maternis; sed quidam tenent, quod substitutus à patre indistincte admittitur.

Sequitur *liberis*, idest legitimis, & naturalibus, non autem extraneis, naturalibus tantum solum mater, & non pater exemplariter substituere potest.

Ponitur *adultis*, vel *majoribus*, non autem impuberibus, nisi tali furore correptis, qui possit esse perpetuus, deinde quia istis potius providetur per pupillarem, quàm per exemplarem.

Adjicitur *institutis*, vel *exhæredatis*, nam omnino debent institui, vel exhæredari, aliàs non valeret, quia testamentum deficeret.

Denique adscribitur *ratione furoris*, vel *dementiae*, idest furore correptis, aut alio morbo perpetuo affectis, quo ad habitum, non quo ad actum; mentecaptis, fatuis, surdis, qui vocem clamantis non audiunt; prodigo, qui furioso comparatur, si autem illi bonorum administratio sit interdicta.

Tamen prædicti omnes, si antea quam morbo efficerent, testamentum fecissent; illud, furore, vel morbo superveniente, non cadit.

Si morbo correcti testamentum fecerint, dum sani essent, non possunt exemplariter substitui.

Circa ea quod fit substitutio instituto, vel exhæredato, dictum est supra in pupillari substitutione quomodo fit.

Dicta substitutio dicitur exemplaris, quia ad exemplum pupillaris introducta est.

In hac substitutione certæ sunt substituendæ personæ, quia si morbo laborans habet filios, isti prius sunt substituendi; si illis caret, & habet fratres, isti sunt substituendi, quibus deficientibus potest testator ad libitum substituere.

Si concurrat substitutio pupillaris cum exemplari, hæc non habet locum, cum ordinarium præferatur extraordinario.

Filius non potest exemplariter substituere patri, nec frater fratri, cum in hac substitutione superioritas quædam ex generatione consideretur, quæ non est in filio quo ad patrem, nec in fratre quo ad fratrem.

Ad exemplarem substitutionem requiruntur: 1. Ut sit de filiis legitimis, & naturalibus, ille cui substituitur: 2. Quod non residat in potestate sui parentis, vel alterius: 3. Quod in morbo, vel defectu, propter quem exemplaris facta est, decedat: 4. Quod substituens sibi faciat testamentum: 5. Quod hæreditas patris sit acceptata, vel adita, secundum diversitatem defectuum eorum, quibus substituitur.

Effectus hujus exemplaris substitutionis est: 1. Quod in expressa exemplari continetur tacita vulgaris, & etiam ipsa exemplaris continetur sub expressa vulgari, & sub expressa pupillari: 2. Quod patris, & filii bona ad substitutum perveniant.

Finitur exemplaris substitutio: 1. Si morbus, aut furor cessat: 2. Si ille, cui substituitur, liberos acquirat, quis casus, licet rarus sit, in furioso, in muto tamen, & surdo invenire potest: 3. Si testamentum deficeret, & non valeret: 4. Si substitutus præmoriatur instituto, nisi dictum sit de liberis ejus.

Differunt exemplaris, & pupillaris substitutiones: 1. Quia ista tantum fit à patre, illa vero etiam à matre.

2. Quia pupillaris tantum fit impuberibus, exemplaris vero adultis, vel majoribus.

3. Quia in pupillari requiritur patria potestas, in exemplari vero non.

4. Quia in pupillari pater potest substituere quem voluerit (de jure communi, fallit tamen de jure municipali per constitutionem), in exemplari certæ sunt substituendæ personæ.

Quia

5. Quia pupillaris expirat tempore pubertatis, exemplaris vero tempore restitutæ sanitatis.

Conveniunt autem: 1. Quia sicut pupillaris expressa excludit matrem, ita expressa exemplaris.

2. Quod sicut tacita pupillaris non excludit matrem, ita tacita exemplaris.

3. Quia sicut in pupillari certæ sunt substituendæ personæ de jure municipali, ita in exemplari.

4. Quia sicut pupillariter substitutus succedit in omnibus bonis pupilli, ita exemplariter substitutus in omnibus bonis morbo laborantis.

§. II.

De Reciproca, seu Breviloca Substitutione.

Reciproca, seu breviloca substitutio nihil circa materiam differt ab aliis substitutionibus, sed quo ad modum inducendi.

Ita definitur: Illa quæ fit à parente generis masculini duobus, vel pluribus liberis in potestate existentibus, institutis, vel exhæredatis, ad invicem substitutis.

Hæc definitio traditur à Rolandin. *in sua Summa part. 2. cap. 8. de Testam. rub. Quæ sit Breviloca Substitutio*; sed Menoch. *de Præsumpt. lib. 4. præsumpt. 68. n. 4.*, agendo de dicta substitutione, per jura ab eo citata, non tenet quod fiat liberis in potestate existentibus; & merito sic, quia hæc substitutio nedum à patre, sed etiam ab alio quocumque testatore fieri potest: si fit à patre impuberibus in potestate existentibus, est reciproca, & breviloca, & habet effectum pupillaris: si fit à patre imparibus, etiam dicitur reciproca, & breviloca, quia comprehendit omne tempus, sed non habet effectum pupillaris: si fit ab extraneo, pariter est breviloca,

ca, & reciproca, & tunc etiam si fiat impuberibus, non habet effectum pupillaris, licet comprehendat omne tempus.

Appellatur reciproca, quia una verborum conceptione plures simul hinc inde instituuntur, & substituuntur, & de uno ad alium verificari potest; breviloca autem, quia brevius fit.

Exemplum hujus substitutionis est: Titium, & Seyum mihi hæredes instituo, eosque ad invicem substituo, vel alterum alteri substituo, vel uterque ex eis supervivens alteri substituo; vel Titium, Cayum, & Seyum hæredes instituo; & si quis eorum decesserit, bona mea ad reliquos superstites perveniant, vel alter alteri succedat.

In prædicta substitutione quinque requiruntur, seu concurrere debent: 1. Quod sint duo, vel plures instituti, & ad invicem substituti: 2. Quod sint de liberis: 3. Quod sint impuberes: 4. Quod sint in potestate: 5. Quod sint instituti, vel legitime exhæredati.

Prædicta requisita tradit Rolandin. loco citato; sed 2. 3. & 4. requisitum & quandoque fallent, ut videbitur.

Effectus hujus reciprocae substitutionis sunt diversi, secundum diversitatem substitutorum, aut enim personæ institutæ, & substitutæ sunt æquales, aut inæquales, aut conjunctæ, aut disjunctæ, aut conjunctæ simul, & tunc videntur effectus.

In substitutis primi generis, pro ut variant ipsa reciproca verba, varias quoque substitutiones complectuntur, aliquando duas vulgares, aliquando duas pupillares, aliquando duas fideicommissarias, si autem fit à patre, secus si ab extraneo.

In substitutis secundi generis, scilicet si institutio est inæqualibus facta, hæc non includitur nisi æquales, id est quæ omnibus substitutis verificari potest, ut in duobus

filiis impuberibus, & non venit, quæ in utroque verificari potest, idest vulgaris, quia inæqualitas odiosa est.

Hæc substitutio quandoque fit verbis singularibus, ut Titium, & Seyum instituo, & Titio substituo Seyum, & Seyo Titium.

Quandoque fit verbis specialibus, ut Titium, & Seyum instituo, & eos ad invicem substituo.

Quandoque verbis generalibus concepta, ut Titius, & Seyus, si uterque eorum vivet, mihi hæres esto.

Si testator dixerit: Si quis hæredum meorum deceserit, volo bona mea ad superstites pervenire, est reciproca.

Quando testator dixerit: Instituo Cayum, & Seyum, & eorum liberos, & descendentes, & eos, & præmortuorum filios ad invicem substituo vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum, dicitur reciproca inter primos institutos.

Reciproca substitutio aliquando tantum continet vulgarem substitutionem, ut quando fit duobus ætate majoribus, vel quando fit uni puberi, & alteri impuberi, & tunc fieri potest à quocumque testatore.

Quandoque comprehendit vulgarem, & pupillarem, ut quando fit duobus impuberibus, & tunc ratione pupillaris tantummodo fieri potest à patre; si vero fit ab alio, non continet pupillarem.

Quandoque comprehendit vulgarem, pupillarem, & exemplarem, ut si fit duobus impuberibus filiis, & furiosis, & tunc tantummodo fieri potest à patre ratione pupillaris; si vero fit à matre, non continet pupillarem, sed tantum vulgarem, & exemplarem.

Denique quandoque continet vulgarem, pupillarem, exemplarem, & fideicommissariam, ut quando fit duobus filiis impuberibus, & furiosis, & adjungitur compendiosa,

pendiosa, quæ ratione pupillaris tantum fieri potest à patre; si fit à matre, non continet pupillarem, bene vero cæteras; si vero fit ab extraneo, non continet pupillarem, nec exemplarem, sed tantum reliquas.

Estque ratio, quia vulgaris, & fideicommissaria fieri possunt à quocumque testatore, etiam extraneo.

Reciproca substitutio facta uni filio impuberi instituto, & alteri ex hæredato, non continet vulgarem, quia non datur æqualitas.

Si pater instituat duas filias in certis rebus, & duos filios hæredes universales, & dixerit: Filios meos ad invicem substituo, foeminae non sunt invicem substitutæ, cum non obtineant locum, & nomen hæredum.

Si testator instituat unam filiam in re certa, & duos filios hæredes universales, & dixerit: Si aliquis hæredum meorum decesserit, substituo superstites; tali casu est facta reciproca substitutio respectu filia, quia hoc casu verbum illud *superstites* non potest verificari in solo filio superstitite.

Si filia sunt institutæ in aliqua bonorum quota, ut in tertia, quarta, vel simili bonorum parte, tunc veniunt comprehensæ in reciproca substitutione, quia dicuntur ex hæredibus universalibus.

Pupillaris substitutio continetur in reciproca facta duobus impuberibus, si fit à patre, & sunt in ejus potestate; attamen si sunt impares, idest unus pubes, & alter impubes, licet sint in patria potestate, pupillaris non continetur, quia non servatur æqualitas, nec continetur in persona impuberis.

Nec quando reciproca est admixta cum compendiosa substitutione facta impuberibus continet pupillarem, nam reciproca substitutio solum complectitur illas substitutiones, & tempora, quæ personis convenire possunt.

At si facta est mentio de pupillari ætate, ut si dixerit: Si in pupillari ætate decesserit, vel aliàs quæcumque, tunc continet pupillarem.

Si testator tres habens filios, unum puberem, & duos impuberes, quos omnes instituit, & ad invicem substituit, inter illos duos impuberes reciproca non continet pupillarem.

Si testator instituat tres hæredes, nempe duos filios impuberes, & alium extraneum, etiam impuberem, & eos ad invicem substituat, illa reciproca non continet pupillarem inter illos duos filios impuberes, cum extraneo pupillariter substitui non potest, & illa unica determinatione determinare non potest inter illos duos filios.

Si testator instituat, & substituat reciproce duos filios impuberes, unum anniculum, & alterum duodecim annorum, superveniente pubertate in isto, non extinguitur pupillaris facta anniculo.

Quando pater duos impuberes invicem substituit, deinde unum emancipavit, tali casu in utriusque persona non extinguitur pupillaris substitutio.

Quando testator substituit duobus filiis impuberibus, in re tamen certa institutis, hoc casu reciproca continet pupillarem.

Reciproca quando est facta duobus filiis majoribus mentecaptis, vel furiosis, hoc casu illa continet vulgarem, & exemplarem, illam usque ad hæreditatis additionem, deinde hæreditate adita exemplarem.

Quando reciproca fit duobus impuberibus furiosis, vel mentecaptis, continet vulgarem, pupillarem, & exemplarem si fit à patre.

Quando fit reciproca duobus filiis, quorum unus est impubes sanæ mentis, alter vero pubes mentecaptus,

tus, in illa continetur sola vulgaris, cum pupillaris non conveniat puberi furioso, & exemplaris non adaptetur impuberi sanæ mentis, atque ita inæqualitas impedit unam, & alteram.

In reciproca substitutione non continetur fideicommissaria, quia verbum *substituo* sui natura ad directas tantum substitutiones refertur.

Reciproca vero substitutio facta inter solos primos institutos non extenditur ad eorum filios in conditione positos.

Si pluribus institutis substituatur ultimo decedenti in tota hæreditate, quo ad commodum ultimi, omnibus aliis hæredibus est substitutus, cum jure accrescendi tunc totum consequatur.

Si testator dixerit: *Instituo Cayum, Seyum, & Titium, filios meos, & ultimo decedente in pupillari ætate substituo in tota hæreditate Mevium*, hoc casu inter illos tres impuberes institutos præsumitur facta reciproca pupillaris.

Quando testator substituit ultimo morienti in tota hæreditate, & mater non extat, vel extat, sed exclusa à successione ab statuto, inter illos impuberes substitutos non dicitur inducta reciproca pupillaris.

Testator quando dicit: *Instituo Cayum, Seyum, & Titium, impuberes filios meos, quibus in pupillari ætate morientibus Mevium substituo*, tunc non dicuntur invicem reciproce substituti pupillariter, sed uno eorum in ea ætate decedente, superstibus reservata est legitima successio, & ita ab intestato succedunt, & frater superstes excludit substitutum.

Quando testator pluribus impuberibus institutis substituit in tota hæreditate, sed non ultimo morienti, vel quando substituit ultimo decedenti, sed non in tota

hæreditate, non censetur inducta pupillaris substitutio inter illos impuberes.

Testator quando dicit : Instituo Cayum, Seyum, & Titium, & ultimo eorum decedente, substituo Mevium, hoc casu præsumuntur illi tres invicem tacitè reciprochè substituti.

Si testator dicit : Cayum, Seyum, & Titium instituo, & ultimo eorum decedenti in bonis, vel hæreditate meis, Mevium substituo, inter illos tres institutos vocatos facta præsumitur reciproca substitutio.

Testator si dixerit : Cayum, & ejus descendentes instituo, & ultimo eorum decedenti Mevium substituo in omnibus bonis, vel tota hæreditate, tunc illi descendentes præsumuntur ad invicem substituti per fideicommissum, censetur etiam facta reciproca substitutio fideicommissaria quo ad filios præteritos, quibus conservatur fideicommissum universale.

Si testator dixerit : Instituo Cayum, Seyum, & Titium, & eis substituo Mevium, inter eos tres institutos non est facta reciproca substitutio fideicommissaria.

Effectus reciprocarum substitutiones visum est qui sint, secundum diversitatem, & quæ in ea substitutiones sunt expressæ.

§. XII.

De Compendiosa Substitutione.

Compendiosa substitutio est, quæ fit à parente generis masculini liberis impuberibus in potestate existentibus, institutis, vel exhæredatis, sub adverbio quodcumque, verbis directis, & non inflexis, substituo, & sine liberis pœnitus omissis, quæ si fit expresse, pupillaris habet effectum, aliàs ad fideicommissum reducitur, quæ pubertatis eventu tollitur, & expirat.

Subs.

Substitutio compendiosa continet vulgarem, pupillarem, & fideicommissariam si fit à patre; quia, ut videbitur, ab alio fieri potest.

Si tamen sit facta puberibus non continet pupillarem, maxime extante matre in medio, quia non remanet exclusa à legitima filio debita, in qua ipsa mater succedit.

Compendiosa substitutio solum fieri potest in testamento, & non in alia ultima voluntate, de qua quatuor traduntur exempla.

Primum exemplum: Antonium, filium meum, mihi hæredem instituo, & quodcumque decesserit, Joannem substituo. Hæc trahitur ad fideicommissum, quia provisum est hæredi toto tempore vitæ suæ, sive in pupillari, sive in adulta decedat ætate.

Secundum exemplum: Franciscum, filium meum, mihi hæredem instituo, & quodcumque decesserit sine liberis, Bernardus sit hæres.

Tertium exemplum: Franciscum, filium meum, mihi hæredem instituo, & quodcumque decesserit sine liberis, Bernardum substituo.

In his duobus exemplis, scilicet secundo, & tertio, licet trahatur ad fideicommissum, quia providetur toto tempore vitæ instituti sine liberis decedentis, tamen providetur tacite pupillari ætate, in qua liberos non potest habere, sed tribus prædictis exemplis dicta substitutio suam mutat naturam.

Quartum exemplum: Paulum, filium meum, mihi hæredem instituo, & si decesserit in pupillari ætate, vel postea quodcumque, Joannem substituo. Hic sunt tres substitutiones, scilicet vulgaris, pupillaris, & fideicommissaria.

Hæ tres substitutiones unaquæque suum habet effectum,

fectum; vulgaris, per quam substitutus acquirit omnia bona testatoris; pupillaris expressa, per quam acquirit bona pupilli, & fideicommissaria, per quam institutus gravatur de restituenda hæreditate substituto, deducta legitima, & trabellianica, si non privatur.

Tamen substitutio modo contento in tribus primis exemplis fieri potest à quocumque testatore, etiam extraneo, sive masculo, sive foemina, decedendo instituto quodocumque sine liberis alterum substituere; quia cuique licet de bonis suis disponere modo sibi bene viso, & bonis suis legem ponere, tamen tunc non erit in ea contenta tacita pupillaris, quamquam institutus sit impubes.

Hæc substitutio nominatur compendiosa à verborum brevitate, quo compendio concipitur, & nulla tempora complectitur unius adverbii quodocumque, scilicet vulgare, pupillare, atque ad fideicommissum extenditur, multas substitutiones in personis, in tempore continet.

Sub compendiosa regulariter etiam continetur exemplaris, quando est facta filio furioso.

Est autem compendiosa, quæ plura tempora, tractuque temporis substitutionem continet, & perinde ac si testator omnes substitutiones, & tempora expressisset.

Hæc non est distincta species proprie, & quo ad materiam, sed quo ad modum inducendi, & fieri potest verbis directis, vel obliquis, vel precariis, vel communibus, tamen in hoc Cathalonix Principatu inter verba directa, & obliqua nulla fit differentia.

Si hæc substitutio fit verbis directis, tunc refert, utrum pupillo substitutum sit, an vero puberi emancipato: si pupillo, intra pupillaria valebit jure directo, post pupillaria jure fideicommissi, & obliquabitur.

Si

Si vero fit puberi, aut emancipato, substitutus directis verbis, quia tunc talis substitutio per paganum (idest quemcumque) fieri potest, mox ab initio verba obliquantur, & valet jure fideicommissi.

Porro si fit verbis communibus, quæ tam obliquæ, quam directæ intelligi possunt, hic eadem est fere decisio, quam de verbis directis proxime dictum est. Aut enim extraneis, aut puberibus obliquis verbis substituitur, & tunc quia talis substitutio directe non valet, statim oblique accipienda sunt ipsa verba, & sic compendiosa semper erit obliqua, semperque quasi fideicommissaria valebit; aut fit impuberibus, & his, qui sunt in potestate, tunc enim valebit jure directo intra pupillaria, postea vero jure fideicommissi.

Si vero verbis obliquis compendiosa fiat; ut quandocumque filius meus decesserit, volo, rogo, mando (hæc sunt verba precaria) quod bona mea dentur Titio, vel ad Titium perveniant, ea substitutio semper erit obliqua fideicommissaria; quia sive in pupillari, sive ultra moriatur filius, hæredes ab intestato succedunt, & ab eorum manu substitutus hæreditatem capit, seu accipit, & est merum fideicommissum.

At si compendiosa esset facta verbis directis, & communibus simul, ut Titium, filium meum impubere, mihi hæredem instituo, cui quandocumque decesserit substituo Cayum, quem hæredem facio, vel cui vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum substituo Cayum, talis substitutio intelligitur directa, vel fideicommissaria ad libitum substituti.

Tamen non semper ad substituti libitum, nam si agatur respectu vulgaris, & pupillaris substitutionum, non datur electio, cum non detur concursus harum substitutionum, quæ simul eodem tempore esse non possunt.

Si

Si agatur respectu vulgaris, & fideicommissariæ, tunc datur dicta facultas substituto, qua substitutione succedere velit, nam ambæ concurrunt eodem tempore.

Si agatur respectu pupillaris, & fideicommissariæ, si adita hæreditate decesserit in pupillari ætate, non est locus electioni; quia per pupillarem succedit pupillo, & per fideicommissariam testatori.

Si agatur de exemplari, & fideicommissaria, non videtur dari electioni locus, prout de pupillari, & fideicommissaria dictum est.

Si denique agatur de exemplari, & pupillari, hoc casu locus est electioni.

Dicitur etiam compendiosa si fit alicui: *si decesserit sine liberis*, quamquam non contineat dictionem *quandocumque*.

Substitutio facta cum conditione: *si institutus decesserit sine liberis*, excluditur substitutus decedente cum liberis masculis, non vero foemina una, vel pluribus, nisi contrarium testator disponat.

Excluditur etiam substitutus: *si sine liberis*, neptibus ex filio, vel filia præmortuis extantibus.

§. XIII.

De Fideicommissis.

Fideicommissum, seu fideicommissaria substitutio est, quæ fit verbis mere obliquis, quibus testator hæredem institutum rogat, ut aditam hæreditatem alteri restituat, ut si dicat rogo, jubeo, mando, gravo, ut hæreditatem Cayo restituat.

Fideicommissa possunt etiam fieri in contractibus inter vivos, maxime per pactum, cum reservatione ad

testandum, retinent naturam ipsius contractus, & revocari non possunt.

Quando fideicommissum, seu fideicommissaria substitutio fit in contractibus inter vivos, ut in donatione simplici, vel aliqua causa, aut in donatione causa mortis, ex qua datur actio fideicommissi, non potest detrahi trabellianica, sed tantum legitima; & licet postea revocetur donatio quo ad primum donatarium, non revocatur quo ad substitutum, cui per stipulationem Notarii, vel donarii, quaeritur actio, & dominium.

Possunt etiam fideicommissa relinqui in ultima voluntate ab omnibus jus testandi habentibus, & praestanda illis, quibus datur, vel non admittitur.

Hujus fideicommissi, seu fideicommissariae substitutionis effectus sunt: 1. Quod in fideicommissaria non continetur vulgaris, nisi expressa sit: 2. Quod hæres institutus, & de restituendo gravatus, detrahit quartam trabellianicam.

Sicque potest in hac substitutione hæres gravari, vel pure, vel sub conditione, vel post mortem suam, vel ad certam diem.

Fideicommissum est multiplex; nempe universale, particulare, reale, personale, generale, speciale, contraventionale, purum, vel absolutum, & conditionale.

Universale dicitur, quando restitutio universalis fit ex trabellianico, vel est quando hæreditas fideicommissaria nuncupatur, & successio in universum jus defuncti fit per obliquum.

Particulare dicitur, quod factum est in certis rebus, aut bonis, vel est idem quod legatum.

Fideicommissum particulare potest fieri per patrem filiae in dote illi legatae.

Universale fideicommissum differt à particulari, quia facta restitutione, omnia jura, omnesque actiones transeunt in universali successore, ita quod hæres restituens non potest agere contra creditores, etiamsi restituat cum protestatione; secus autem si fit restitutio particularis.

Item universale fideicommissum continet onera, & æs alienum; particulare vero non.

Item, & denique universale non obligat hæredem gravatum ultra vires fideicommissi; secus vero in particulari: & ideo universalis fideicommissarius potest retinere credita sua, non obstante confusione semel facta, particulari vero secus.

Reale fideicommissum dicitur impositum bonis hæreditariis, & afficit omnes nominatos, & censetur inter eos inductum, quando verba concipiuntur in rem, ut bona mea deveniant de liberis in liberos, quod onus dicitur reale.

Etiam est reale, quando fit prohibitio alienandi in rem concepta, quia est realis, & perpetualis.

Pariter dicitur reale, quando testator jussit remanere bona in agnatione pro conservanda familia.

Necnon est reale, quando testator dixit, quod vult bona sua conservari in posteritate, quia perinde est, ac si verba essent directa ad rem.

Denique est reale, si testator prohibitionem fecerit de descendantibus ne alienent, adjecta tamen causa, quia vult bona ad omnes transire.

Personale dicitur, quando verba sunt directa ad personam, & non ad rem, fit de persona ad personam, licet de persona ad personam non extendatur, quia non habet locum nisi in quantum verba sonant.

Differentia inter personale, & reale est, quia prohibitio

hibitio facta certis personis non extenditur ultra illas, nisi constet quod sit repetita in aliis; si vero est facta in rem, omnes comprehendit, & est perpetuum.

Generale est, quod non comprehendit omnia bona testatoris, nam non comprehendit legitimam.

Speciale est, quod fit in aliqua re, ut si fit in dote, & valet quatenus excedit legitimam.

Contraventionale est, quando testator prohibet alienationem, vel ne alienetur extra familiam, vel parentelam.

Purum, seu absolutum dicitur, quando simpliciter inducitur sine conditione, vel dinumeratione temporum, aut sine ulla dilatione, quo casu debetur statim, ex quo pure est rogatus, restituere.

Differentia inter controventionale, & purum est, quia contraventionali fit locus statim sequuta contraventione, puro vero solum post mortem gravati. Secundò, quia contraventionali est in manu hæredis habere, vel non locum, puro vero non; quia sive velit, sive nolit, fit locus ejus morte sequuta.

Conditionale fideicommissum dicitur, quando est adjecta aliqua conditio, seu modus, ut quando est factum in eventum mortis hæredis, quo casu si fideicommissarius decedat ante hæredem, expirat fideicommissum, & hæres potest disponere de bonis sub fideicommissio conditionalis subjectis.

Conditionale dicitur etiam purum, quando conditio fuit purificata, ut fideicommissum inductum post mortem Titii sine filiis; si Titius ita mortuus sit, dicitur purificatum, & affectum purum.

Fideicommissum factum de eo, quod supererit hæredi, non comprehendit quod hæres donavit, vel legavit, quia non dicitur superesse, & est conditionale.

Fideicommissum ante agnitionem, & aditam hæreditatem per hæredem, transmittitur per fideicommissarium ad suos hæredes, quia competit actio ex testamento ad fideicommissum purum, & actiones transmittuntur ad hæredes.

In fideicommissis puris, vel in diem certam, non veniunt nati post testamentum, vel mortem testatoris, nisi expresse essent vocati filii alicujus, qui tunc nullos habet filios, vel sub nomine plurali illius, qui unum tantum filium habet, aliter vero non, vel dispositio esset verbis universalibus concepta.

In conditionalibus autem, vel in diem incertam, veniunt nati post mortem testatoris, dummodo infra tempus purificatæ conditionis nascantur, vel saltim concipiantur, cum concepti ad eorum commodum habeantur pro natis.

Fideicommissum relictum pro certis personis, vel pro certo tempore, si ex ratione generali, & expressa comprehendit plures personas, & tempora, extenditur quatenus ratio expressa extendit.

In fideicommissis veniunt animalia, sicut mobilia, & hujusmodi per testatorem relicta in hæreditate, cum fideicommissis sunt fideicommissario restituenda; tamen si sine culpa, vel mora gravati mortua fuerint, damnum est fideicommissarii.

Bona emphyteuticaria veniunt in fideicommissis, quando fit à primo acquirente titulo oneroso.

Bona hæredis non veniunt in fideicommissi restitutione, etiamsi dispositio sit universalis, nisi expresse id jusserit testator; sed an possit, vel non id testator jubere, fere omnes distinguunt.

Aut hæres institutus est extraneus, aut de suis, & necessariis, aut de necessariis tantum: si est de extraneis

neis non potest; quia nullum jus habet in bonis hæredis: si est de necessariis tantum potest; quia peculium, quod servus habebat, erat domini, licet. Administratio concessa fuerit servo: si est de suis, & necessariis, iterum distingunt, aut filius institutus habet peculium profectitium, ei obventum sui, & non patris contemplatione: si contemplatione patris, cum in eo jam sit ei jus quæsitum, ex quo ei ventum fuit, potest pater bona dicti peculii restitutioni fideicommissi subicere: si sui contemplatione, iterum distingunt, aut ventum fuit cum conditione ne patri quæretur ususfructus, tunc non potest fideicommissio subicere, quia nihil in tali peculio habet: si absque dicta conditione potest subicere; bona autem adventitia, castrensia, vel quasi castrensia non potest pater fideicommissi restitutioni subicere.

Bona ab ipso testatore alienata, licet fideicommissio subjecta non veniunt in ejus restitutione, quæ tempore illius mortis in ipsius hæreditate non reperiuntur.

Bona ab ipso testatore fideicommittente alienata instrumento gratiæ, si in vim dicti pacti fuerint redempta, veniunt in fideicommissio, & sunt restituenda; quia facta recuperatione dicuntur esse penes hæredem ex prima causa, cui tantum competit actio ad pretium; si recuperatio ex propriis pecuniis facta fuit, aliqui tenent restitui non deberi.

Bona reperta penes filium, vel neptem, præsumuntur habita à patre, vel avo fideicommittente.

Gravatus in restitutione fideicommissi universalis tenent aliqui non tenere restituere prælegata, quia ea non habet ut hæres.

An gravatus restituere hæreditatem, teneatur restituere legata caduca affecta? est distinguendum: aut legata

gata fuerunt renuntiata favore hæredis, aut repudiata fuerunt, & per repudiationem remanserunt in hæreditate.

Primo casu non tenetur restituere; quia hæres in vim renuntiationis sibi factæ acquirit omne jus, & actionem legatarii, cujus loco succedit.

Secundo casu iterum est distinguendum: aut legatum fuit factum simpliciter, aut insolutum legitimæ: si simpliciter, tenetur restituere; quia per repudiationem res legata simpliciter remansit in hæreditate.

Si insolutum legitimæ, & legatarius repudiavit petendo legitimam, quia legatum est minus legitimæ, non tenetur restituere, quia hæres solvendo legitimam de pecuniis propriis, res legata non remanet in hæreditate, sed penes solventem legitimam, si de propriis pecuniis solvit.

Etiam gravatus tenetur restituere mobilia, servilia, aurum, & argentum, margaritas, gemmas, & similia, tanquam sub generali fideicommisso comprehensa.

Mobilia, quæ usu consumuntur, & servari nequeunt, se moventia, & animalia, nisi quatenus extant, non sunt restituenda à gravato, quia non veniunt in fideicommisso, nisi quatenus extant.

Melioramenta facta ab hærede gravato de restituendo, non deducuntur voluntaria per modum æstimationis, sed abrationis, quatenus separabilia sunt cum commodo hæredis.

Si fuerint facta causa fructuum colligendorum, seu reponendorum, veniunt in restitutione, nec potest gravatus retinere, nec jure æstimationis, nec repeti, quia computantur cum fructibus.

Si fuerint facta ad perpetuam rei utilitatem, duraturam ultra tempus restitutionis, vel fuerint necessaria,

ria, veniunt in restitutione; possunt tamen ab hærede retinere, vel si illis non detractis restitutum fuerit fideicommissum, potest jure æstimationis ab hærede peti.

Fideicommissarius dicitur ille, qui ex manu hæredis accipere debet, aliàs ejus possessio est vitiosa. Ante restitutionem saltim sibi verbo factam, fideicommissarius nullum jus habet.

Ultimus fideicommissarius de familia alienare potest bona, & jura perpetuo fideicommisso obnoxia, & extraneo hæredi relinquere.

Fideicommissarius, cui data est facultas disponendi de aliqua summa, vel re particulari, si expresse non disposuerit, videtur tacite disposuisse in suos hæredes, ab intestato venientes, ad quos expectabat.

Simplex fideicommissum, & etiam absolutum, se comparatur cum facultate alienandi inter comprehensos, quo casu intelligitur sub conditione, quatenus alienatio non fuerit sequuta, dummodo si sequatur fiat bona fide, & sine fraude, servata forma à testatore præscripta.

Alienatio prohibita à testatore propter concensum aliquorum in ea requisitum, illis mortuis cessat prohibitio, quia provisum est per prohibitionem limitatam ad vitam illorum, & si adest fideicommissum erit restrictum ad bona non alienata, nam prohibitio tanquam temporalis inducit permissionem, quæ tamen procedunt in casu simplicis prohibitionis.

Prohibitio alienandi ad certum tempus, transacto tempore est permissa, si nulla adest prohibitio quàm hominis.

Si prohibitio alienandi est facta filiis, non extenditur ad neptes, & tanquam personalis excludit extensionem de persona ad personam.

Si prohibitio est facta filiis, ut bona perpetuo remaneant in familia, comprehendit neptes.

Prohibitio alienandi facta à testatore simpliciter, & sine causa, dicitur nuda, importat potius consilium, quàm præceptum, reputatur inefficax, nec inducit aliud quod fideicommissum.

Dicitur vestita, si adjiciatur pœna amissionis rei, vel alia pecuniaria, eo tunc censetur facta favore illius cui pœna est applicanda.

Prohibitus alienare extra familiam potest aliis vendere, quando illi de familia recusant emere, cum per simplicem prohibitionem non dicatur testator voluisse bona omnia remanere in familia.

Prohibitio alienandi, & vendendi non comprehendit alienationem per viam institutionis, & substitutionis, sed solum per actus inter vivos.

Expressa prohibitio alienandi impedit dominii translationem in emptorem, ejusque hæredes, & reddit alienationem nullam.

Testator non potest perpetuo prohibere divisionem inter hæredes, bene vero ad tempus, ut donec efficiantur majores.

Jus accrescendi est quædam vulgaris substitutio, & habet locum in hæreditatibus, ut altero hærede adeunte, portio non adeuntis ipsi adeunti accrescat, etiam invito, & ignoranti, ne quis pro parte testatus, & pro parte testatus decedat.

Jus accrescendi non habet locum nisi inter plures institutos; secus si unus est institutus in re certa, quia nunquam habet totum ex jure accrescendi.

Jus accrescendi non potest inter hæredes prohiberi, ipsa ratione ne quis pro parte testatus, & pro parte intestatus decedat.

Hæres, qui partem suam agnovit, potest partem co-
hæredis repudiare, ne sibi accrescat.

Cessat jus accrescendi quando repudians habet subs-
stitutionem expressam in sua parte, seu portione.

Item cessat in substitutione tacita vulgari compre-
hensa in pupillari expressa. Pariter cessat quotiescum-
que potest habere locum transmissio regularis suitatis,
& sanguinis, potius etiam vadit ad hæredes defuncti,
nam jus accrescendi est transmissibile, & transmititur
ad hæredes.

Si fit legatum centum aureorum à patre unicuique
filiarum suarum pro sua dote, non est locus juri accres-
cendi, quia hoc casu legatum est factum per verba
distributiva; sed si fit legatum centum aureorum fi-
liabus pro earum dotibus, tunc fit locus dicto juri,
quia hoc casu legatum est factum per verba collectiva.

Licet filiorum appellatione contineantur neptes, tam
ex filio, quàm ex filia in vocatione activa, & etiam
quando sunt positi in conditione, non autem in fidei-
commissis; maxime quando in filiis requiritur quali-
tas, quæ non est in neptibus, vel quando sermo res-
tringitur ad filios natos ex uxore.

Nec filiorum appellatione veniunt neptes, nec ad eos
extenditur dispositio, quando conditio jam sortita fuit
effectum, nec quando agitur de inducendo fideicom-
missum, nec in transversalibus, cum proprie neptes
dicantur ex filio, vel filia, & non ex fratre, vel sorore.

Nec nati, vel concepti post mortem testatoris ve-
niunt, & sic posthumi, quamvis dispositio respiceret
futurum eventum.

Pariter filiorum appellatione non veniunt neptes,
quando testator de illis discretive loquutus fuit.

Filiorum appellatione non continentur proprie fœ-
minæ,

minæ, maxime in conditionalibus, in quibus verba sunt proprie, & striete intelligenda.

Tamen concepta in numero plurali filiorum appellatione continentur fœminæ, & sic in quacumque materia pœnalis, & odiosa, nisi diversa militet ratio in masculis, & fœminis.

Non tamen comprehenduntur fœminæ quando testator expressit qualitatem masculinitatis, nec comprehenduntur in fideicommisso ordinato pro conservanda agnatione.

In conditionalibus fideicommissis fœminæ non veniunt sub nomine filiorum, & descendentium.

Tamen fœminæ ex verborum proprietate veniunt sub nomine filiorum, neptuum, descendentium, lineæ, & familiæ in fideicommissis, cum sint nomina communia, quæ tam masculis, quàm fœminis conveniunt, nisi sit adjecta qualitas masculinitatis, vel sit pro conservatione familiæ, & agnationis.

Appellatione filiorum cum dictione *in perpetuum* veniunt non solum primi gradus, sed omnes posteriores in infinitum.

Filiorum appellatione non veniunt naturales tantum, sive in ultimis voluntatibus, sive in contractibus, secundum aliquos, & secundum alios veniunt, sed legitimi, & naturales præferuntur.

Nec filiorum appellatione tam in actibus dispositivis, quam in conditionalibus veniunt adoptivi, nec adrogati, nec spirituales, & ideo non faciunt deficere conditionem, si sine liberis, nisi de voluntate testantis contrarium appareat.

Quando vero sunt adoptati de mandato testatoris, habent omnes prærogativas, succedunt in quibusvis bonis, & feudis, & habentur quo ad omnes effectus, ac si essent de vera, & naturali familia.

Primogeniti appellatione majoris, vel senioris de domo, venit major natu, & ætate, & non major aliis respectibus.

Fœminæ primogenitæ veniunt appellatione primogenitorum, & admittuntur ad primogenituram, quando institutor primogenituræ non respicit ad conservationem agnationis.

Liberorum appellatione veniunt tam masculi, quàm fœminæ, quia nomen liberorum est commune tam masculo, quàm fœminæ; tamen masculi sub dicta appellatione censentur vocati prælative ad fœminas.

Neptes, & alii descendentes, tam masculi, quàm fœminæ, veniunt sub liberorum nomine.

Masculorum appellatione, quando fideicommissum est relictum descendantibus masculis, non veniunt masculi ex fœminis, cum testator videatur voluisse conservare agnationem.

Si fideicommissum sit relictum à fœmina, quia tunc cessat ratio conservandæ agnationis, & habet locum sola ratio conservandi masculinitatem.

Si autem fideicommissum est relictum à testatore masculis ex fœminæ descendantibus, cum non sint agnati testatoris, non est locus conservandæ agnationis.

Si denique est relictum fideicommissum descendantibus per virilem sexum, tunc excluduntur fœminæ ex masculo descendentes, non autem masculi, & fœminæ ex fœminis descendentes.

Neptuum appellatione veniunt pro neptes vere, & propriè, nam illa dictio *pro* addita tantum censetur ad discernendum primos à secundis.

Posterorum appellatione veniunt omnes descendentes, etiam fœminæ, earumque descendentes, nisi lo-

quatur de prohibitione alienandi, quia testator voluit bona sua conservare in posteris.

Appellatione descendantium veniunt omnes qui ex eadem extirpe, vel stirpe oriuntur, etiam in infinitum, cujus gradus, & sexus existant.

Tamen si facta est vocatio de filiis natis ex aliquo denominato, utpote de filiis natis ex Titio, hoc casu non comprehenduntur alii progeniti ex nepte.

Si vero facta est mentio de descendantibus ex Titio, non comprehenduntur omnes descendentes ex Titio in infinitum.

Descendantium appellatione veniunt etiam fœminæ, nisi statutum eas excludat, vel nisi à patre, vel matre sit facta discretiva mentio, vel dispositio.

Appellatione descendantium, vel transversalium non veniunt descendentes, nec transversales expurei.

Supra §. IV. dictum est, quid sit linea, & quid gradus, illic breviter de ascendentium, descendantium, collateralium, & transversalium linea actum est, non vero de aliis divisionibus lineæ.

Linea est duplex: recta, & transversalis, & utraque est duplex: recta, una dicitur descensiva, quando descendit continens descendentes; alia dicitur ascensiva, idest quando ascendit, continens ascendentes; transversalis, una est superior, continens patrum, avunculum, &c. & alia inferior, continens fratrem, sororem, nepotem, &c.

Alia est affectiva, quæ à patre sumit initium; alia contentiva, quando continet patrem; alia extensiva, quando transit ad transversales; alia defectiva, quando decedunt omnes, vel non nascuntur; alia successiva, quando ad continuandum ponitur.

Linea recta propriè dicitur sursum, & deorsum, non enim ex latere.

Omnes lineæ tripartitæ dividuntur in duas, scilicet masculinam, & foemeninam.

Item etiam in agnatorum, seu agnationis lineam, prout sunt nati ex filiis, & masculi per lineam masculinam, & cognatorum, pro ut sunt nati ex filiabus, & foeminæ ex linea foemenina.

Vocatio ex linea patris hæredis tripliciter intelligitur; scilicet *effective*, ut descendentes à patre; *subjective*, intelligitur de avo, patre patris, à qua linea incipit, & *passive*, videlicet ex eadem familia, vel genere.

Lineæ appellatione directæ, & non inflexæ, nec transversalis veniunt solum descendentes, tam masculi, quàm foeminæ, nisi de linea recta sit facta mentio.

Linea masculina incipit à filio masculino, & foemenina à foemina, & masculi descendentés ex foeminis non veniunt appellatione lineæ masculinæ, ubi agnatio contemplata fuit.

Foeminæ, licet agnatæ ex masculis descendentes, non veniunt appellatione lineæ masculinæ, maxime si de hac fuerit facta mentio.

Tamen veniunt appellatione lineæ masculinæ non coarctatæ per qualitatem masculinitatis.

Generationis appellatione veniunt omnes descendentes, tam ex linea masculina, quàm foemenina, nisi dictum fuerit de agnatione masculina, vel quando foeminæ essent exclusæ.

Appellatione domus, & familiæ veniunt qui portant nomen domus, seu familiæ, seu idemptitate sanguinis, & gestant eadem arma, & insignia.

Foeminæ dicuntur de familiâ, & agnatione, illamque conservant donec vivunt, & ideo retinent bona in agnatione conservanda, illarum vita durante.

Familia continet aggregatos cum assumptione armorum,

rum, & nominis, quia ipsi dicuntur de stirpe, & sanguine illius cui fuerunt aggregati.

Gravatus assumere nomen, & arma, vel insignia testatoris sub pœna privationis hæreditatis, non privatur ob non implementum, nisi fuerit interpellatus, quando gravamen fuit adjectum per viam modi, secus autem si per viam conditionis; si autem nomen esset honestum, aliàs rejicitur gravamen, & non privatur hæreditatis.

Expurei, & bastardi in familiæ appellatione non continentur.

Licet foeminæ dicantur de familia, & agnatione, tamen sunt finis lineæ masculinæ, & principium foeminæ; ab illis incipit alia linea, quæ est cognationis origo, sunt finis paternæ agnationis, & principium cognationis viri sui.

Dum nubunt foeminæ dicuntur exire à familia patris, & transire in familiam viri, tamen donec vivunt dicuntur de familia patris, illamque retinent etiam nuptæ.

Tamen foeminæ, sive nuptæ, sive innuptæ, censentur exclusæ à fideicommissis ordinatis pro conservatione bonorum in familia.

Appellatione propinquorum veniunt omnes agnati, & cognati ejusdem gradus, & etiam foeminæ, nisi sit in materia quæ convenit tantum masculis, vel nisi testator agerit discretive de masculis, & foeminis.

Agnationis nomine includuntur foeminæ, cum de familia sint agnatæ, & ex testatoris stipite, vel cippi, domus vocatione proprie continentur.

Fideicommissum simpliciter relictum proximioribus, sive familiæ, primis semel admissis expirat, cæteris perpetuo exclusis, qui ordine quidem successivo, sed

vul-

vulgaris tantum, non fideicommissariæ substitutionis vocatur.

Propinquorum nomine, quando dictum est de familia, agnatione, domo, casata, genere, prosapia, vel stirpe, non veniunt expurei; si vero dictum est, vel sunt apposita verba generaliter significantia, & conjuncti, agnati, parentes, liberi, descendentes, vel similia, tunc comprehenduntur, nisi agatur de materia juris.

Appellatione stipis, vel cippi comprehenduntur agnati juxta ordinem graduum, interdum foeminae, si testator non habet respectum conservandi agnationem.

Agnatorum appellatione veniunt proximi consanguinei ex parte patris usque ad decimum gradum.

Consanguinei sunt inter se sanguine connexi, agnati sunt per viriles sexus conjuncti, cognati vero per sexum foemeninum.

Consanguinitas est vinculum personarum ab eodem stipite descendendum, carnali propagatione contractum, & distinguitur per lineas, & gradus.

Frater uterinus non dicitur agnatus.

Expureus, & naturalis, natus ex concubina extra domum, non habet jura civilia naturalium liberorum, nec est agnatus.

Naturalis non est de parentela, neque de agnatione, neque ex eo nati.

Filii sororum propriè agnati vocantur, posteriores vero ex illis descendentes cognati vocantur.

Licet affinitas distinguatur in gradibus, & generibus, tamen propriè non habet gradum, & concluditur in socero, & socru, genero, & nuru, noverca, & vitrico, privigna, & privigno.

Jure affinitatis nulla datur successio, præterquam in-

ter virum, & uxorem, quando non extant consanguinei usque ad decimum gradum; tamen vir, & uxor proprie non dicuntur inter se affines, sed principium affinitatis.

Fratrum appellatione veniunt sorores, & consanguinei tantum, nisi statutum eas excludat.

Collateralium appellatione, & transversalium veniunt etiam foeminae, maxime quando non est habita ratio agnationis conservandae.

Parentum, & ascendentium appellatione veniunt pater, mater, & ascendentes per lineas masculinam, & foemeninam.

Repraesentatio est in locum alterius subrogatio ad effectum succedendi, & potest considerari in linea ascendente, vel descendente, vel collateralis.

Tamen in linea ascendente, quando agitur ut parentes succedant suis descendentibus, nulla repraesentatio locum habet; sed si sunt plures ascendentes in gradu dispaes, proximior remotiorem excludit.

In linea descendente, quando agitur ut descendentes succedant suis ascendentibus, tunc repraesentatio succedit in infinitum.

In collateralis linea, quando agitur de successione transversalium, procedit repraesentatio usque ad fratrum, vel sororum filios inclusive, & non ultra.

Conditio *si sine liberis* tacite intelligitur in omnibus testatoris descendentibus gravatis per fideicommissum alteri restituere.

Dicta conditio *si sine liberis*, si non est expressa, subintelligitur à lege, & eodem operatur effectus in testamento tam patris, quam matris.

Sed tamen si institutus est extraneus, & gravatus per fideicommissum post mortem suam hereditatem restituere, non subintelligitur dicta conditio.

Si institutus est filius, vel descendens à testatore, & gravatur pure statim post mortem testatoris, vel in diem certam restituere, tunc non subintelligitur dicta conditio, & institutus non excludit substitutum.

Si vero gravatur à patre, vel matre de restituenda hæreditate post mortem gravati, tunc subintelligitur dicta conditio.

§. XIV.

De Tutorum, & Curatorum Electione.

Tutores testamentarios potest dare pater, & non mater, quia ista non habet filios in potestate.

Tamen si mater filium suum instituerit in testamento, poterit tutorem dare, & tunc tutor magis in rem, quàm in personam datus censetur, quæ tutela, licet ipso jure valeat, tamen à prætore confirmari debet.

Sed si pater vivit, vel filio tutorem dedit mater, quamquam filium instituat, non potest dare tutorem; quia pater vivens est legitimus tutor filiorum, vel neptuum ex eis emancipatorum.

Pater transiens ad secunda vota privatur tutelæ filiorum suorum emancipatorum, sicut etiam mater, quia pœnæ secundo nubentium sunt communes, tam masculo, quàm foeminæ.

Pater transiens ad secunda vota, non conficiendo inventarium, vel male administrando, ultra privationem tutelæ filiorum suorum emancipatorum, privatur illorum successione.

Licet mater non possit filiis tutorem dare, & si datur ab ea modo quo dictum est, debet à prætore confirmari, tamen potest alicui committere administrationem rerum, quas reliquit filiis, quam administrationem potest foemina habere.

Et hoc, quod dictum est de matre, de avia paterna, & materna dicendum est.

An avus possit dare tutorem? est distinguendum; aut inter ipsum, & neptem est medium, vel non; si non est medium potest; si est medium, quia pater neptis vivit, iterum est distinguendum; aut neptis est in patris potestate recassurus, tunc non potest ab avo ei dare tutorem; si non est recassurus in patris potestate, quia neptis est adoptatus ab avo, potest tunc illi dare tutorem.

Extraneus non potest dare tutorem, & si dederit est confirmandus à prætore, sicut de matre dictum est.

Uni tantum rei potest dari tutor, quia solum personæ, & non rei, vel causæ datur.

Tutor potest à testatore dari quomodocumque, nempe pure, in diem, sub conditione, & ad tempus.

Datus à testatore tutor filiis suis existentibus absque mentione personarum, censetur etiam datus posthumis, quia filiorum appellatione veniunt.

Si avus dixerit: de liberis meis N. in tutorem, datur etiam neptibus; secus autem si dixerit filiis meis, quia neptes non sunt filii.

Tutores dari possunt liberis impuberibus in patris, vel testantis potestate existentibus; sed si testator filiabus dedit, non censetur dedisse filiis, quia foemineum genus non concipit masculinum, sed sic è contra; puberibus vero non datur tutor.

Dicitur in potestate existentibus, nam si daretur filio emancipato non valeret, nisi esset minor, & tunc confirmandus est à Judice.

Licet de jure communi tantum in testamento dentur tutores, vel in codicilli testamento confirmatis, de

jure nostro municipali possunt dari in quacumque ultima voluntate, & nulla indigent confirmatione.

Dari possunt tutores in testamento patres filiis familias, & omnes alii, nisi expresse sint prohibiti, ut sunt servi durante servitute, furiosus durante furore, minor viginti quinque annis, mutus, surdus, & foemina, nisi sit mater, vel avia, quæ volentes admittuntur, sed cogi non possunt.

Tamen servus potest dari tutor filiis testatoris, & consequitur libertatem, & si est servus extraneus, & pure datus non valet, bene vero sub conditione, & ea purificata valet.

Etiam possunt dari furiosus, mentecaptus, & minor viginti quinque annis, tamen non efficiuntur tales, nisi furiosus, & mentecaptus compos mentis factus sit, & minor ætatem viginti quinque annis consequutus sit.

Si alicui accepta tutela superveniat esse mutus, vel surdus, desinit esse tutor.

Licet foemina, nisi sit mater, vel avia, tutrices esse non possint, tamen mulieris datio in tutricem sustinetur in vim generalis administrationis.

Mater, vel avia transienda secunda vota amittit tutelam filiorum primi matrimonii, nisi contraxerat sponsalia tantum de futuro, & matrimonium non sequatur, vel nisi esset relicta tutrix à viro etiam in casu secundarum nuptiarum.

Sed tamen mater secundo nubens non amittit tutelam obtento rescripto à Principe, ut possit etiam nupta illam administrare.

Mater postquam amittit tutelam per transitum ad secunda vota, illam reassumere, & recuperare non potest facta vidua secundi viri.

Dum tamen mater est tutrix filiorum suorum non

potest petere dotes suas, usuras, vel alimenta, quia administrando præsumitur sibi solvere, sicut potest solvere aliis, imo hoc non faciendo videtur in culpa.

Mater tantum naturalis admittitur ad tutelam filiorum suorum naturalium, & expureorum, cum semper sit certa, & illis succedit.

Frater major potest esse tutor testamentarius fratris minoris ex alio matrimonio, non obstante quod sit creditor dotis maternæ, & habeat hæreditatem paternam communem.

Cæcus potest tutelam exercere, & pupillis contrahentibus auctoritatem suam impartiri.

Pater non potest in testamento dare curatorem filiis, & si datur opus est iudicis confirmatione.

§. XV.

De Clausula Finali, sive Codicillari.

Clausula codicillaris potest concipi per verba præsentis temporis, & tunc non inducit fideicommissum, & potest concipi per verba futuri temporis, & tunc inducit fideicommissum.

Dicta clausula subintelligitur in testamento facto inter liberos, quamvis non sit expressa, maxime de jure canonico.

In aliis vero testamentis non intelligitur, maxime si est institutus extraneus, nec suppleri potest, non obstante quod Notarius censeatur rogatus apponere clausulas consuetas, quia post tradita copia jam functus est suo officio.

Predicta clausula codicillaris, vel omni meliori modo, & similia apposita in testamento solemniter, vel in scriptis, conditio illius sustinet, quamvis testator nes-

ciens scribere non apposuerit signum crucis, vel loco ejus octavum adhibuerit testem.

Clausula codicillaris in testamento cæci, in quo non sunt servatæ omnes solemnitates, nihil operatur.

Præfata clausula *omni meliori modo* posita in testamento operatur, quod si filia præterita dicat testamentum nullum, cogatur, detracta legitima, hæreditatem hæredi scripto restituere ex fideicommisso.

Clausula *omni meliori modo* habet vim clausulæ codicillaris, & per eam resolvitur substitutio in fideicommissum.

Eadem clausula *omni meliori modo* operatur, ut testamentum valeat, quamvis in eo non sit relicta legitima filio titulo institutionis.

Relata clausula *omni meliori modo* in testamento habet vim clausulæ derogatoriæ ad præcedentia testamenta, cum denotet præcisam voluntatem.

Tamen dicta clausula *omni meliori modo* non operatur ubi adest imperfectio voluntatis, nec potest variare sensum dispositionis, & tantum operatur circa defectus solemnitatum, non autem circa defectus in substantiâ.

Clausula codicillaris operatur, ut succedentes ab intestato teneantur, detracta trabellianica, restituere hæredi scripto id in quo fuerit hæres scriptus, & institutus.

Confirmat dicta clausula codicillaris substitutionem pupillarem, ad hoc ut succedentes ab intestato ipsi pupillo teneantur hæreditatem illius substituto restituere.

Sustinet dicta clausula codicillaris testamentum nullum ex causa præteritionis scienter, non autem ignoranter factæ, in vim fideicommissi.

Nec non operatur quod caducata institutione per

mortem hæredis scripti ante testatorem, habeat locum substitutio facta, si sine liberis decesserit, non tamen procedit respectu cohæredum, quibus non est restituenda portio affecta caduca.

Pariter operatur dicta clausula codicillaris, quando testamentum deficit ex omissione alicujus solemnitatis, vel si fiat caducum per mortem hæredis ante testatorem.

Posthumus ignoranter præteritus, si clausula codicillaris est concepta per verba futuri temporis, & testator supervixit post nativitatem posthumi, sustinet dicta clausula testamentum trahendo illud ad fideicommissum.

Clausula quod si non valet jure testamenti valeat jure codicilli, sin autem valeat in vim cujuslibet alterius voluntatis ultimæ, valebit in vim simplicis, & imperfectæ voluntatis inter liberos, nihil tamen operatur quo ad extraneos.

Clausula quod valeat in vim donationis causa mortis, si non valet ut testamentum, vel codicillus, valebit donatione causa mortis, si tamen hæres præsens fuerit, vel ejus Nuntius, vel Notarius pro eo stipuletur.

Dicta clausula codicillaris, quando testamentum est nullum vitio testatoris, nihil operatur, quia qui non potest testari, neque codicillari.

Clausula derogatoria generalis, quibuscumque aliis testamentis apposita, in secundo testamento operatur derogationem primi testamenti, etiam si in primo habuerit clausulam, quod non censeatur derogatus, nisi in secundo apponantur quædam verba præcisa, quia licet non apponantur, sufficit tamen si testator dicat: volo hoc testamentum valere, non obstante quocumque alio à me facto, habente quædam verba derogatoria, quæ hoc testamento essent exacte à me proferenda,

renda, quæ volo pro expressis habere, nam per ista verba censetur facta specialis clausula derogatoria.

Tamen si testator inducitur dolose ad revocandum primum testamentum, hæres in primo institutus succurritur per exceptionem doli.

Primum testamentum non revocatur per secundum, quando in isto institutus non potest esse hæres, nec quando hæredes instituti in secundo sunt incapaces, & in primo capaces.

Nec quando ex secundo testamento non potest adimi hæreditas, nec quando secundum testamentum est nullum, ut quia præteritus est filius, vel alia ratione.

§. XVI.

De Testibus Testamenti.

Testamentum de jure civili positivo requirit septem testes masculi, licet de jure gentium, & de jure primævo gentium duo sufficiant, & quod sint omnes rogati, quia requiritur pro solemnitate, & non casu advenisse, aliàs testamentum esset nullum, nisi sit ad pias causas, vel inter liberos.

In testamentis factis à Notariis Barcinonæ, in dicta Civitate, duo tantum testes sufficiunt.

Notarius præsumitur rogatus dum testamentum scribit.

Numerus testium non est de forma substantiali, sed tantum accidentali, & probatoria testamenti.

Inter liberos sufficiunt duo testes, etiam si pater sit cæcus, ac etiam non rogati, & foemina, sive alii inhabiles.

Cæcus licet in actibus inter vivos possit esse testis, non tamen in testamento, quia non potest videre testatorem, ut requiritur.

In testamento cæci requiruntur septem testes, & quod hæres scribatur cum nomine, agnomine, ac denominationibus claris, & quod tam Notarius, quàm testes subscribantur.

In testamento in quo sunt duo, vel tres testes, in Civitate Barcinonæ non infirmatur ratione testium, & licet non sint rogati non invalidatur testamentum vigore privilegii.

Hæretici, & excommunicati non possunt esse testes testamenti.

Testes domestici non admittuntur, nisi sint idonei.

Domestici testes sunt, qui subsunt, vel ratione patriæ, vel dominicæ potestatis, & qui habitant cum aliquo, vel aliquo modo sunt subjecti, mercenarii, vel similes.

Sed testes domestici in testamento solum intelligitur ratione potestatis dominicæ, vel paternæ.

In testamento militis admittuntur domestici, ac etiam pater, & debent esse rogati, & non fortuiti.

Fœminæ non sunt idonei testes in testamento, nisi sit inter liberos, vel ad pias causas, & in codicillis, quia possunt supplere testem masculum, qui esset consanguineus, & etiam in casu necessitatis, quando alii testes masculi adhiberi non possunt.

§. XVII.

De Legitima.

Legitima quidam dixere esse quædam portio bonorum à lege determinata, quæ habebat defunctus tempore mortis suæ debita personis pariter à lege determinatis.

Alii, quod est tertia pars, si filii sunt quatuor, aut
pau-

pauciores, & quando ultra quatuor sunt, dimidiam esse tenere, habita respectu bonorum existentium tempore mortis, inter ipsos filios æqualiter dividendam.

De jure vero nostro municipali legitima est, quarta pars hæreditatis defuncti, ære alieno detracto, etiam si filii sint plus quàm quatuor.

Licet quibusdam respectibus legitima dicatur quota hæreditatis, tamen regulariter est quota bonorum, & non hæreditatis, quia in bonis debetur.

Differentia inter hæreditatem, & bona videtur esse, quia in hæreditate defuncti comprehenduntur legata, tam pia, quàm profana, & credita annualia passiva; in bonis autem non, quia cum legata morte testatoris sint debita, licet sint in hæreditate, non sunt in bonis ipsius testatoris; & cum legitima computetur in bonis remanentibus, deducto ære alieno, ideo quota fit in bonis, & non in hæreditate.

Legitima debetur jure divino, & naturæ, & sic non potest per statutum in totum tolli, vel auferri, sed tantum minui.

Legitima debetur filiis legitimis, & naturalibus simul, licet sint emancipati. Item neptibus, parentibus medio non extantibus. Item legitimatis per rescriptum Principis, nisi adsit clausula (quæ communiter apponi solet) sine præjudicio venientibus ab intestato. Item legitimatis per subsequens matrimonium.

Legitima debetur neptibus ex propria persona, quando istorum parentes sunt præmortui, quibus non præjudicat quæcumque renuntiatio ab ipsis parentibus facta, cum intelligatur pro suo jure tantum, & non pro jure neptuum.

Tamen neptes tenentur admittere in computum legitimæ id quod datum fuit parentibus, si totum per

avum filio datum ad neptem pervenerit; secus si per filium dissipatum, aut consumptum fuerit.

Legitimati per rescriptum Principis cum dicta clausula, *sine præjudicio venientium ab intestato*, non habent jus petendi legitimam.

Quando fit legitimatio per subsequens matrimonium, legitimatus succedit; tamen cum talis legitimatio non fuit quod dicatur legitime natus ex legitimo matrimonio, ideo non capit ea, quibus soli legitime nati sunt capaces.

Filius natus ex matrimonio putativo dicitur legitimus, quando matrimonium non peccavit in forma, & fuit cum debitis solemnitatibus, & non fuit clandestinum.

Filius natus ex figura matrimonii ex muliere, quæ alium virum habebat, secundo ignorante, habetur pro legitimo ad omnes effectus.

Filio adoptato, vel adrogato, debetur legitima, & si est præteritus rumpit testamentum.

Naturalibus tantum non debetur legitima à patre, sed à matre, nisi esset illustris; tamen non extante prole legitima potest filius naturalis ex testamento in tota hæreditate patris succedere, illa vero existente in una sola uncia.

Filii naturales dicuntur nati ex concubina, & debet esse soluta cum soluto, ita quod possit inter eos extare matrimonium, & habitare in domo publice, & palam, & debet esse unica, quibus cessantibus naturales non dicuntur.

Filiæ expureæ, & incestuosæ, licet non sint successibiles patri, tamen debent congrue dotari juxta consuetudinem loci, & conditionem familiæ, pro quantitate bonorum patris ad metam legitimæ, maxime filiis legitimis, & naturalibus non extantibus.

Debetur legitima fratri in bonis fratrum, quando instituta est turpis persona.

Legitima debet relinqui jure institutionis, nisi sit per statutum sublata, per quod, loco legitimæ, aliud subrogatur, ut dos, vel alimenta.

Non recipit legitima onus, sive gravamen, & appositum ipso jure rejicitur, nec ejus alienatio regulariter impediri potest.

Legitima debetur filiæ à patre dotata super bonis maternis.

Debetur legitima post mortem, & in illa calculanda habetur ratio bonorum existentium tempore mortis, de cujus bonis agitur, nisi pater per immensam donationem patrimonium suum exacerit; quia tunc attenditur tempus donationis.

Et debetur una cum fructibus à die mortis illius, de cujus bonis agitur; si autem tota hæreditas, seu legitima consistit in pecunia, non debentur fructus, cum pecunia sit sterilis, nisi probetur ex ea fuisse perceptos, & quod tempore mortis esset fructifera, vel loco stabilium fructiferorum subrogata.

In electione hæredis est solvere legitimam in pecunia, vel in aliqua proprietate.

Pater potest præcipere, quod filii restituant fructus ultra legitimam, & fructus percepti ultra executionem voluntatis testatoris extinguunt debitum legitimæ, & in illam imputantur.

Pater potest prævenire insolutum legitimæ, & illam etiam assignare filiis convenientibus, quo casu non est attendendum augmentum, vel diminutio bonorum postea subsequens, sed est habenda ratio bonorum existentium tempore assignationis, & non mortis.

Talis præmatura assignatio habet vim ultimæ vo-

luntatis, potest ad libitum patris revocare, & revocata censetur per subsequens testamentum.

Legitimæ, & ejus supplemento renunciari non potest vivente patre, vel matre sine illorum consensu, & perseverantia usque ad mortem, nec venit in renuntiatione de bonis paternis, quia requirit specialem renuntiationem.

Tamen si in renuntiatione adsit juramentum, venit in ea legitima, & ideo renuntiatio ipsa, quam facit filia cum juramento, sive expressè fiat de legitima, sive generaliter de omnibus bonis, comprehendit legitimam.

Donata à patre inter vivos, & valida ab initio, non imputatur in legitimam, secus autem si indigeret confirmatione, vel essent donata cum conditione imputandi in legitimam, cum id totum à voluntate patris pendeat.

Filio respicienti hæreditatem patris non debetur legitima, nec ascendentibus repudiantibus, quia quando filius à patre non gravatur, sed pure instituitur hæres, non potest hæreditatem repudiare, & legitimam velle, quia non potest adire partem hæreditatis quando tota est delata.

Sed si filius institutus, & gravatus repudiaverit hæreditatem salva legitima, non dicitur repudiare hæreditatem, ex quo adit in parte ex testamento, quia non est institutus in legitima, sed in hæreditate, licet quis contrarium teneat.

Tamen si filius acceptat hæreditatem in totum, non gravatur ex tali acceptatione in legitima, quam absque ullo gravamine consequi debet.

Quando filius habet cohæredem, & ipse reperitur institutus in certa parte paulo plus ultra legitimam, po-

test repudiare hæreditatem, & velle legitimam, quia cum accrescat cohæredi non potest decedere testator pro parte testatus, & pro parte intestatus.

Si fit legatum particulare per patrem filio, potest iste repudiare legatum, & petere legitimam.

Potest pater relinquere legitimam in re particulari, vel in pecunia hæreditaria, quam filius recusare non potest.

Si hæres gravatus aliquid de hæreditate fideicommissa subjecta alienaverit, imputatur ei in legitimam.

Filius gravatus pure per fideicommissum detrahit tantum legitimam, gravatus vero sub conditione detrahit legitimam, & trabellianicam, adveniente conditione, & tempore restitutionis, & ad hæredes transmittitur, si non fuerit deducta in vita.

Dicta detractio legitimæ, & trabellianicæ procedit in filio legitimo cum rescripto Principis.

Expensæ funerariæ, & ultimæ infirmitatis necessariæ, & non ad pompam factæ, deducuntur ante legitimam, illamque minuunt.

Si tamen hæres inventarium non fecerit, dictæ funerariæ expensæ computantur cum mobilibus, fructibus, & aliis rebus hæreditariis, & non detrahuntur, cum ut plurimum fiant de pecuniis, & aliis rebus defuncti.

Filius, vel filia pasciscens cum patre de nihil petendo post ejus mortem, cum non teneantur servare pactum, quia est invalidum, nisi sit juratum, & intelligatur renuntiasset solum successioni ab intestato, non autem ex testamento, nihilominus auget numerum in computatione legitimæ.

Filia exclusa à successione propter masculos, si dos illi assignata est, succedit loco legitimæ, auget numerum in computatione legitimæ; si vero dos non succe-

dit loco legitimæ, non auget numerum, & habetur pro extraneâ.

Filius exhæredatus, vel deportatus, qui pro mortuo reputatur, & alii, qui religionem bonorum incapacem ingressi sunt, non faciunt numerum in computatione legitimæ, nam qui non habent jus succedendi, non computantur.

Monasterium incapax bonorum non potest petere legitimam Monacho in eo ingresso, & professo competendam, nec pater Monachi tenetur legitimam dare; quia filio, professione emissa, non competit legitima de tempore mortis patris subsequutæ, quia pater decedens cum filio Monacho professo, si alios non habet, dicitur sine filiis decedere.

Si vero Monasterium est capax bonorum, & filius Monachus professus patri præmoritur, non tenetur ei relinquere legitimam, quia pariter dicitur sine filiis decedere; si autem filius patri supervixerit, tenetur pater illi reservare legitimam, & jure, ac titulo institutionis filio ingresso relinquere potest, & tunc Monasterium potest illam petere, ad quem Monachus eam transmittit, quia Monachus religionis capacis retinet jura suitatis, & sanguinis.

Pater, & ascendens à filio gravatus alijs restituere, non potest detrudere legitimam.

Legitima matri, vel aviæ, seu alteri ascendenti competens est tertia pars totius hæreditatis, quando fratres defuncti, filii, vel filiæ sunt omnino præteriti, quia si non instituuntur in persona, habentur pro exhæredatis, & non faciunt numerum in illa computanda; tamen de jure nostro municipali est quarta pars.

Ascendentibus tamen ex causa ingratitude potest privari legitima illis per filios debita.

Mater secundo nubens non potest prætere legiti-
mam in bonis à patre in filios proventis, quando ad-
sunt filii ex primo matrimonio successibiles.

In aliis autem bonis, quæ filii primi matrimonii con-
sequuntur ex fratribus prædefunctis, & quæ ipsorum
facta sunt patrimonium, matri competit legitima.

Collaterales, ut fratres, possunt propter ingratitudi-
nem privari legitima in casibus quibus illis debetur.

Legitima præscribitur spatio triginta annorum contra
filium non petentem, & non declarantem illam velle
consequi.

§. XVIII.

De Quarta Trabellianica.

TRABELLIANICA est: Quarta portio bonorum,
quæ ab hærede gravato de fideicommisso universali de-
ducitur; hæres enim institutus, & gravatus alteri hæ-
reditatem restituere, potest retinere hujusmodi quartam.

Hæc quarta, est pars illius, quod venit restituend-
um per fideicommissum universale, & detrahitur ex
eo quod superest, deducto ære alieno, & legitima.

Quantitas patrimonii restituendi attenditur tempore
restitutionis, & non tempore mortis testatoris.

Si primus hæres gravatus alteri restituere detraxit
trabellianicam, secundus hæres, cui fuit restituta hæ-
reditas, si etiam est gravatus alteri restituere, non
potest detrahi trabellianicam; quia de una hæreditate
non possunt detrudere duas quartas, sed unam tantum,
& tunc jus detrahendi consumptum fuit à primo hæ-
rede.

Filius gravatus fideicommisso pure non detrahit
trabellianicam, sed tantum legitimam; si vero est gra-
vatus

vatus sub conditione, utramque detrahit veniente conditione, & ad hæredes transmittitur, etiam extraneos, sicut legitimam, si non fuerit detracta in vita, & est etiam cessibilis.

Dicta detractio trabellianicæ competit filio legitimo cum rescripto Principis.

Filiis adrogatis debetur quarta trabellianica, & possunt illam detrahere.

Matri non debetur trabellianica contra piam causam.

Filius hæres gravatus, non conficiens inventarium, amittit trabellianicam.

Potest trabellianica detrahi de re prohibita alienari.

Si testator jusserit omnia bona sua restitui ab hærede gravato, hoc casu verbum *omnia* potest verificari in universitate, & non in totalitate, potest nihilominus hæres detrahere quartam trabellianicam.

Trabellianica non debetur contra voluntatem testatoris, sed de ejus voluntate.

Potest à testatore prohiberi trabellianica, nedum extraneis hæredibus gravatis, sed etiam filiis primi gradus, & non solum expressè, sed etiam tacitè.

Non detrahitur trabellianica, quando quis gravatur ut donatarius, & non ut hæres, nec quando institutio, vel fideicommissum fit inter vivos, & quando fuit institutus non sui, sed fideicommissarii contemplatione.

Pater à filio gravatus non potest detrahere legitimam, & quartam, quia ascendentes gravati alteri restituere non possunt detrahere duas quartas.

In codicillis quarta trabellianica impediri non potest.

De Falcidia.

FALCIDIA est: Lex dissecans legata, ita ut quarta pars patrimonii defuncti remaneat hæredi, attento tempore mortis, deducto ære alieno, & funeris impensa.

Falcidia est magis privilegiata quam trabellianica.

Non detrahitur, & cessat falcidia, quando testator illam prohibuit, nec de legatis ad pias causas, nec de dote prælegata, nec de testamento à militari confecto, nec si hæres legata solverit, vel solve promississet, etsi æs alienum totum defuncti patrimonium absorbeat.

Tamen de legato dotis pro matrimonio carnali detrahi potest falcidia; secus si est legata piæ causæ.

Falcidia non detrahitur de legato alimentorum facto pauperi, etiam si dodrantem excedat, nisi consistat in pecunia.

Neque detrahitur ex prælegato alteri facto, quando testator dixit velle legatum venire integritè ad legatarium.

Pariter non detrahitur ab hærede quando inventarium non fecit.

Item non detrahitur de vestibis, jocalibus, & pretiosis ornamentis per virum uxori legatis.

Cessat falcidia quando detrahitur legitima, cum una tantum quarta debeatur, ubi legata sunt pura, & non conditionalia.

Detrahitur falcidia de legato ususfructus omnium bonorum, ut scilicet hæres habeat quartam partem cum fructibus, quando tamen legatum excedit dodrantem, aliàs secus.

Non videtur falcidia remissa per solutionem aliquorum legatorum.

De Codicillis.

CODICILLUS est: Quædam ultimæ voluntatis dispositio, sine hæredis institutione.

Dicitur codicillus quasi parvus codex, sine tabula, seu schedula; codex enim pro testamentaria scriptura hic sumitur, simplici tamen, & minus solemnî, cum testamentum codex magnus dici potest.

Codicillus dicitur pars testamenti, & ab eo robur accipit, venit ad illud continuative, & continet omnem modum, conditionem & qualitates expressas in illo, cum per codicillum non recedatur à dispositione testamentaria, nisi in his quæ expressè reformantur, cum clausula *addendo*, vel *minuendo*, nisi sint facti ante testamentum, quia tunc non additur, nec minuitur.

Quatuor de causis inventus fuit codicillus: 1. Propter dispositionem unius rei: 2. Propter dispositionem plurimum rerum: 3. Ut aliquid addatur in testamento: 4. Ut aliquid de testamento minuatur. Facto, prima, vel secunda causa fieri potest ante testamentum, tertia vero, vel quarta causa solum fieri potest post testamentum.

Ex quo codicillus fieri potest ante testamentum, cum testamento, in ipso testamento, & nullo condito testamento.

Venientes ab intestato tenentur legata, & fideicommissa in codicillo relicta præstare.

Qui possunt testari possunt etiam codicillari, & in codicillis possunt eligere manumissores, & tutores, & codicillus morte codicillantis confirmatur, in quibus omnibus convenit codicillus cum testamento.

Manumissores, & tutores dati in codicillis testamentarii dicuntur.

Pater potest etiam codicillari pro filio.

In codicillis hæreditas non potest dari, neque adimi.

Item exhæredatio non potest fieri in codicillis.

Item in codicillis non potest adjici conditio hæredi pure instituto in testamento, nec conditio apposita institutioni in testamento potest in codicillis tolli.

Item in codicillo quinque testes sufficiunt, etiam non rogati, inter quos mulier etiam admittitur, fallit tamen in codicillo cæci, in quo septem requiruntur testes.

Item codicillus nullam solemnitatem, nullamque obligationem, aut testium subscriptionem requiritur, fallit tamen in codicillo cæci, quia subscribere debent.

Item quis potest decedere pluribus codicillis factis, qui omnes, & singuli valent, nisi quatenus contrarii sint, tunc autem posterioribus statur, & in omnibus istis codicillus differt à testamento.

Infirmatur codicillus eodem modo quo testamentum.

Nativitate posthumi non infirmatur codicillus, nisi sit dependens à testamento.

Si codicillus continet hæredis institutionem, sustinetur in vim testamenti imperfecti inter liberos, licet à testatore vocatus fuerit codicillus, maxime extante clausula, quod si non valet ut codicillus, valeat in vim cujusvis alterius ultimæ voluntatis.

§. XXI.

De Donatione causa mortis.

DONATIO CAUSA MORTIS est: Quædam ex mortis, vel instantis, vel futuræ consideratione dispositio ultimæ voluntatis.

Licet hæc donatio quodam modo videatur contrac-

tus, vel pactum, eo quia vel per traditionem, vel per pollicitationem, vel per stipulationem fieri debeat, tamen censetur ultima voluntas.

Si quis igitur consideratione mortis, vel instantis, sive futuræ, aliquas res donat ea intentione, ut si ipse superviveret, aut si vivo, donatarius mortem prior abiret, eas ad se redire velit, mortis causa donare dicitur, & censetur ultima voluntas.

Hujus donationis causa mortis tres sunt species: 1. Cum quis nullius periculi metu conterritus, sed sola mortis cogitatione donat: 2. Cum quis in imminente periculo mortis non sic dat, ut statim res accipientis fiat: 3. Si quis periculo mortis non sic dat, ut statim fiat accipientis, sed tunc demum cum mors fuerit sequuta.

Possunt causa mortis donare, qui de jure testari possunt, tamen filius familias licet testari non possit, etiam patre consentiente, tamen potest causa mortis donare cum patris consensu, in ipso actu, vel antea expressè, & nominatim præstito, & donatarius sit præsens, vel Notarius pro eo stipuletur.

Ut donatio filii, vel filiæ familias alteri facta valeat, quatuor requiruntur: 1. Quod patre permittente fiat: 2. Quod eidem expressè, & nominatim licentiam concedat: 3. Quod talis licentia præcedat donationem: 4. Quod is, cui donatur, sit præsens, aut Notarius pro eo stipuletur, & si fit donatio ipsi patri, dicta quatuor requisita comprehenduntur, licet de eis non constet, dummodo sit præsens, aut Notarius stipuletur.

Licet filius familias possit inter vivos sine patris consensu donare bona adventitia, in quibus pater non habet usumfructum, tamen non potest sine patris consensu causa mortis donare.

Filius familias in donatione causa mortis non potest

legare, nec fideicommissum facere, etiam patre consentiente, & si fit, valebit donatio, non vero fideicommissum, quia de donatione habet facultatem à patre, non de fideicommisso.

Ratio quia filius familias patre consentiente potest causa mortis donare, & non testari cum patris consensu, est, quia testamentum non potest pendere ex alieno arbitrio, & donatio causa mortis contractui assimilatur.

Hæc donatio causa mortis non est prohibita inter conjuges, nisi pactum irrevocabilitatis contineat.

Si fit per cæcum sustinetur etiam sine solemnitatibus.

Minores, & mulieres possunt causa mortis donare sine solemnitatibus à statuto in eorum contractibus requisitis, cum causa mortis donatio non comprehendatur in statuto loquente de donatione, sed potius æquiparatur ultimis voluntatibus.

Donatio causa mortis facta ab hæretico ante commissum delictum valet, sed non valet post commissum crimen, nisi sit in favorem uxoris.

Meretrices, quibus per Judicem interdicta est bonorum administratio, non possunt causa mortis donare, nec inter vivos, quamvis vellent testari ad pias causas.

Omnibus potest causa mortis donare, quibus de jure legare potest.

Hæc donatio pacto nudo fieri potest, dummodo fiat præsentem, & acceptantem, aut alteri illius nomine recipienti.

Debet fieri expressis verbis de consideratione mortis, vel alterius periculi, ut dubium non sit, neque enim ex ipso, quod quis moriens donat, causa mortis donare videatur.

Item fieri potest in quacumque summa, neque insinuatio requiritur.

Pariter fieri debet quinque testibus præsentibus, aliàs esset nulla, etiam si donans esset miles, & non esset in castris, vel in arce, aliàs præsumitur inter vivos, fallit tamen in Civitate Barcinonæ, ubi duo tantum testes sufficiunt.

Hæc donatio habet hoc peculiare, quod quæcumque licet revocari, præcipue quatuor de causis: 1. Si æger donaverit consideratione, & causa mortis, & postea convaluerit: 2. Si donator, facta donatione, poeniteat, sive sanus, sive æger sit, cum deambulatoria sit hominum voluntas: 3. Si prior decesserit is, cui donatur: 4. Si donator dicat donationem volo valere, si de hac ægritudine contingat me mori, alioquin, nisi donator irrevocabiler donet, nam in vim dictæ clausulæ censetur donatio inter vivos.

Pariter revocatur per voluntariam alienationem rei donatæ, nec non etiam quando alteri legatur in testamento res donata, & denique per pignorationem, vel similem alienationem.

De natura hujus donationis est, quod donator ea, quæ donat causa mortis, se potius habere vult, quàm ille cui donat, deinde potius quàm hæredem suum.

Mentio hæredum potest conveniri donationi causa mortis, quando prius acquisita fuerit donatario, quod necesse est.

Si dicta donatio sit facta donatario, & ejus hæredibus, licet donatarius donatori præmoriatur, transit in donatarii hæredes, quo modo fallit tertia causa supra relata.

Donatio mortis causa facta per maritum uxori, vel filio per patrem, confirmatur morte civili mariti, vel patris, & ideo uxor, vel filius, si donans fuerit capitaliter damnatus, possunt bona donata adversus Fiscum tueri, nisi sit facta in fraudem Fiscus.

Mors civilis æquiparatur morte naturali, quando quis monachatur in Monasterio bonorum incapaci, ita ut pater in tali Monasterio professus habetur pro mortuo naturaliter, & civiliter, & si pater est professus, statim emissa professione filii succedunt.

In casu revocationis causa mortis, donationis fructus percepti sunt restituendi, quia non est perfecta, sed in eventum mortis suspensa.

§. XXII.

De Successione ab intestato.

Quis decedere potest intestatus his modis: 1. Nullo condito testamento: 2. Condito quidem testamento, sed non jure: 3. Jure condito, tamen agnatione posthumi rumpitur: 4. Jure condito testamento, verum hæredum aditione destituito.

Successio ab intestato dividitur in tres ordines, una est descendentium, ut filiorum: alia ascendentium, ut parentum; & alia collateralium, ut fratrum, & transversalium consobrinorum.

Prima causa est descendentium, tam masculorum, quàm fœminarum, ipsi quidem omnibus aliis exclusis, tam ascendentibus, quàm collateralibus, & transversalibus, parentibus suis ab intestato æqualiter succedunt, nulla facta distinctione an sint, vel non emancipati, vel in potestate.

Et succedunt filii cum neptibus ex filio præmortuo, vel aviæ, quia neptes repræsentant personam patris, cum sola differentia, quod filii succedunt in capita, neptes vero in stirpes.

Sed si filius solutus in legitima renuntiaverit hereditati paternæ cum juramento, tunc nec ipse, nec sui

descendentes succedunt, quia ipse excludit se, & suos.

Si nulli adsunt filii primi gradus, sed omnes nepotes, succedunt avo in stirpes, & non in capita, etiam si non sint æquali gradu, sed remotiori, quia inter descendentes repræsentatio procedit in infinitum.

Pactum factum à matre de non succedendo, non præjudicat filiis venientibus ex propria persona ad hæreditatem avi, quando ipsa mater decessit ante patrem suum.

Si sunt filii ex diversis matrimoniis pariter æqualiter succedunt.

Legitimi tantum succedunt patri ab intestato tanquam sui.

Naturales tantum succedunt patri in duabus uncis una cum matre.

Filii autem filiorum naturalium non succedunt avo, nec pro avo paterno.

Expurei, cum non habeant patrem, non nisi matri succedunt, & aliis ascendentibus per lineam foemeninam.

Tamen expurei non prohibentur succedere extraneis, & collateralibus.

Filii ex damnato, & nefario coitu sunt incestuosi, & nefarii, qui nec patri, nec matri succedere possunt, sunt multo quidem deterioris conditionis, & omni legis beneficio indigni.

Filiæ expuræ, & incestuosæ, licet non sint successibiles patri, tamen debent congrue dotari, juxta consuetudinem loci, conditionem familiæ, & pro quantitate bonorum patris ad metam legitimæ, maxime filiis legitimis, & naturalibus non extantibus.

Isti nati ex nefario, vel damnato coitu, jure canonico statuitur, ut communibus expensis alentur, & patre volente, & consentiente legitimentur, succedunt ut sui jure legitimationis.

Legitimati cum clausula: *sine præjudicio venientium ab intestato*, non succedunt ab intestato.

Filius vere catholicus non succedit patri hæretico, nec quoad legitimam.

Filii vero Judæorum baptizati, & christiani affecti, succedunt parentibus suis cum aliis proximioribus, nec sunt deterioris conditionis, ex eo quod affecti sunt christiani.

In hac descendentium successione duo sunt particularia: *Primò*, successio in locum patris in infinitum, quæ vocatur in stirpes, *secundò*, quod hic non inspicitur gradum proximitatis, nec remotior per propinquiorem excluditur.

Secunda causa successionis est ascendentium, nam liberis, & descendentibus defuncti deficientibus, ejus hæreditas parentibus, & ascendentibus debetur, nisi in casibus in quibus parentes ob delictum suum excludantur à successione.

Sunt autem ascendentes, vel pari gradu, ut pater, mater, aut altius secundo, tertio, aut quarto gradu, & tunc pariter succedunt partibus æqualibus.

Super modo succedendi ascendentes, quidam tenent: Quod pater succedit in bonis à patre, vel alio ascendente ex linea paterna filio obventis, matre exclusa, & mater succedit in bonis filio obventis à matre, vel ex linea materna, patre excluso; in aliis vero bonis ex industria, vel bona fortuna acquisitis, æqualiter admittuntur.

Quidam tenent quod pater, & mater æqualiter admittuntur, nulla facta distinctione unde bona proveniant.

Alii quod si ascendentes non sunt in pari gradu, proximior tantum succedit, & remotiorem excludit, nulla habita ratione unde bona proveniant, nec quando cum

illis concurrerit frater defuncti, unde mater excludit avum paternum, etiam quoad bona paterna.

Vel concurrunt cum ascendentibus fratres, vel sorores utrinque conjuncti, & tunc dividitur hæreditas in capita; frater autem ex altero parente conjunctus non admittitur cum ascendentibus.

Mater succedit filio naturali excluso patre.

Mater transiens ad secunda vota succedit filio in bonis paternis quo ad usumfructum, proprietates tamen remanet aliis filiis.

Mater secundo nubens non petendo, nec curando cum effectu dari intra annum curatorem idoneum suis filiis, privatur illorum successione.

Privatur etiam mater à successione filiorum suorum si nolit eorum tutelam suscipere.

Excusatur tamen mater à dicta privationis poena ob non petitum tutorem, & curatorem: 1. Propter malam valetudinem: 2. Durante tempore luctus suorum consanguineorum: 3. Propter absentiam, infirmitatem, ignorantiam, vel aliam legitimam causam, & impedimentum: 4. Si pater bannitus non petierit tutorem, quia pater bannitus non perdit patriam potestatem: 5. Si sit minor: 6. Si adsunt tutores testamentarii, vel legitimi, quia tunc non tenetur alios petere, nisi se excusaverint: 7. Si mater existens in montanis non habet facultatem consulendi peritos.

Mater prægnans, non petendo curatorem ventri ante partum, amittit successionem.

Ultima autem ratio successionis est collateralium, nam non extantes ascendentes, nec descendentes defuncti, hæreditas defertur collateralibus, primo fratribus utrinque conjunctis in capita, exclusis omnibus aliis collateralibus, exceptis tamen fratrum defuncto-

rum filiis, qui per repræsentationem admittuntur in stirpes.

Fratribus non extantibus succedunt fratrum filii in stirpes; si vero sunt fratrum filii utrinque conjuncti succedunt in capita.

Deficientibus fratribus utrinque conjunctis, istorumque filiis, defertur hæreditas fratribus ex uno tantum latere conjunctis in capita, eorumque filiis per repræsentationem in stirpes, exclusis omnibus aliis collateralibus etiam linæ superioris, ut patruo, amita, & similibus.

Deficientibus omnibus prædictis defertur successio aliis collateralibus consanguineis, seu agnatis, & cognatis, absque differentia, secundum tamen ordinem gradus sui, & qui prior est in gradu, remotiorem excludit, & si plures sunt in pari gradu, æqualiter succedunt, & fit successio in capita, quæ successio usque ad decimum gradum inclusive tendit, & ulterius non extenditur.

Jure autem affinitatis nulla datur successio inter affines.

Frater consanguineus succedit fratri in bonis paternis, uterino fratri peculio materno reservato.

Frater utrinque conjunctus de jure communi præfertur consanguineo tantum in successione alterius fratris intestati.

Uterinus frater non excludit sororem uterinam, etiam extante statuto, quod existentibus masculis foeminae non succedant, nisi statutum habuisset rationem solius masculinitatis.

Inter vero fratres legitimos tantum non datur successio, nisi sint adoptati ab ascendente, cum tunc currat naturalis conjunctio, ex qua possunt succedere suis naturalibus agnatis.

Inter autem fratres, vel alios collaterales tantum, vulgo quæritos, ex linea paterna conjunctos, non datur successio, bene vero conjunctos ex linea materna, etiam si mater esset illustris, nisi essent ex coitu incestuoso, vel adulterino.

Deficiente vero omni linea parentum, liberorum, propinquorum legitima, vel naturali successione, uxor admittitur ad successionem viri intestati, & è contra vir ad successionem uxoris.

PARS TERTIA.

CAP. UNICUM.

DE JUDICIIS.

Initium habuit iudicium à Deo in Paradiso, quando expulsus fuit Adam cum Eva.

Fuit iudicium necessario inventum, ne quis sibi jus disceret.

Judicia quædam sunt duplicia, & quædam simplicia, duplicia sunt pro ut familiæ exercendæ, communi dividendo, finium regundorum, in quibus utraque pars est actor, & reus.

Item interdictis, quia uterque prætendit possidere, ambo sunt actor, & reus.

In reconventionem, quia uterque est actor, & reus diversis respectibus.

Judicium est actus legitimus trium, vel plurium personarum, scilicet iudicis, actoris, & rei.

Vel est ministratio justitiæ, quæ fit à Judice in causa coram ipso proposita.

Dicitur *actus legitimus*, quia iudicia inventa sunt à

jure civili, idque verba denotant *trium, vel plurium personarum*, quia tam in judicio civili, quàm criminali, sunt necessariae ad minus tres personæ, scilicet actor, qui agat; reus, qui se defendat, & judex, qui in causa cognoscat.

Judicium est duplex, aliud civile, & aliud criminale.

§. I.

De Judicio Civili.

JUDICIUM CIVILE est: Illud in quo agitur de pecunia solvenda, seu de re adjudicanda.

Causa censetur civilis semper quod agitur ad commodum privatum, seu descendat actio ex contractu, vel quasi contractu.

Judex est duplex, ordinarius, & delegatus. Ordinarius est, ille qui jure suo, vel Principis beneficio universaliter jurisdictionem exercere potest, vel cui causarum universitas est commissa, vel cujus jurisdictio alicujus districtus, territorii, provinciæ, civitatis, vel alterius loci est attributa.

Delegatus dicitur ille, cui ab ordinario, vel à Principis delegato causa committitur terminanda, vel exequenda.

Differunt Judices ordinarius, & delegatus, quia ordinarius habet jurisdictionem à lege ad universitatem causarum, delegatus vero ad unum negotium.

Jurisdictio principaliter est duplex, una spiritualis, seu ecclesiastica, & alia temporalis, sive politica; nam duæ sunt potestates, una Pontificia, & alia Regalis, à quibus ceteræ jurisdictiones pendent.

Jurisditiones quæ à prædictis pendent, alia est ordinaria, alia data, alia nata, alia realis, alia voluntaria,

taria, alia contentiosa, alia delegata, alia subdelegata, alia arbitraria, alia meri imperii, alia mixti imperii, & alia modica cohærtio.

Ordinaria jurisdictio, quæ data appellatur, est potestas quædam de publico introducta, cum necessitate jurisdicendi, & æquitatis statuendæ.

Dicitur *potestas quædam*, idest maxima, nam Judex potest cognoscere inter discordes, & diffinire in sua sententia, & ideo qui non habet istam jurisdictionem non potest inter partes cognoscere.

Ponitur *de publico introducta*, idest ab Imperatore, nam sicut introduxit Notarios ad negotia scribendum, ita Judices ad judicandum, & quidquid Princeps introduxit publicum est, & habet legis vigorem.

Additur *cum necessitate*, nam Judex sive velit, sive nolit cogitur, & sic hæc jurisdictio est necessario inchoata.

Adscribitur *jurisdicendi*, quia Judex pronuntiare debet secundum leges, & jura.

Denique dicitur *æquitatis statuendæ*, nam quandoque habet pronuntiare secundum æquitatem.

Nata jurisdictio est illa, quæ annexa est auctoritati, ut jurisdictio Romani Pontificis, Imperatoris, & Regis.

Realis est illa, quæ à Rege datur militibus ad castra gubernandum, & cæteris officialibus regalibus, qui gubernant Provincias, & interesse Regis, nec non Notariis ad negotia hominum scribenda, ex quo Judices cartularii vocantur.

Voluntaria est illa, quæ fit à partium voluntate, ut in manumissione, adoptione, adrogatione, & emancipatione, & ista jurisdictio potest agitare coram quocumque Judice ordinario non habente administrationem.

Contentiosa est illa, quæ fit in lite, quia fit de necessitate,

cessitate, nam reus cogitur respondere, & Judex pronuntiare.

Arbitraria est illa, quæ fit arbitrio boni viri, quæ sæpe sapius utitur à compromissariis judicibus, seu arbitratoribus, & amicabilibus componetoribus.

Delegata est, quando committitur alicui ad aliquam causam cognoscendam, & nedum Pontifex, vel Rex, sed etiam quilibet Judex ordinarius potest delegare, attamen delegatus non potest alterum delegare, nisi quando delegatus est à Summo Pontifice, vel Rege, quando causa est contentiosa coram delegato, & quando sibi delegata est universitas causarum, quia hoc casu unum de illis potest delegare, sub quo comprehenditur jurisdictio subdelegata.

Meri imperii jurisdictio est, habere gladii potestatem in homines facinerosos ad animadvertendum, & consistit in tribus: 1. In causa civili, vel criminali: 2. In libertatibus: 3. Cognoscere in commissione Civitatis, ut est banniendo, vel quando in insulam deportatus, vel deportatur ad metallum fodiendum, quæ jurisdictio meri imperii non delegatur.

Mixti imperii est, quando continet quoddam medium, ut quando quæstio est pecuniaria, & quando minor vendit, & debet facere venditionem cum decreto Judicis, & hæc jurisdictio delegari potest.

Modicæ cohartionis jurisdictio est, quæ in se minimam continet auctoritatem, & de minimis cognoscit, & ita potest cuilibet delegari.

Jurisditionem ordinariam dare possunt Summus Pontifex in spiritualibus, nam Episcopus ab eo creatus habet istam jurisditionem in tota sua Diocesi.

Item Imperator, & Rex in tota sua ditione, quæ est in temporalibus, creando Duces, Comites, Marchiones,

chiones, qui omnes isti habent jurisdictionem ordinariam, & fere meri, & mixti imperii, & omnes, qui habent potestatem à Rege, possunt jurisdictionem dare.

Judices emphyteuticarii, & compromissarii esse possunt omnes, quibus à lege non est prohibitum.

Esse non possunt Judices mutus, surdus, cæcus, minor viginti quinque annorum ratione naturæ, infamis, amotus à magistratu propter delictum, excommunicatus, bannitus, nisi sint dispensati, furiosus, mentecaptus, nemo in causa propria, pater in causa filii, filius in causa patris, mulier, monachus, nisi sint dispensati.

Actor est, qui ad judicium provocat ad aliquid sibi standum, vel adjudicari petens, & gravatur onere probandi.

Non tenetur actor ex consuetudine generali (quidquid sit de stricto jure) fidejussorem præstare de stando juri, & judicatum solvi in causa reconventionis.

Omnes personæ, quibus non est prohibitum, possunt judicio interesse, agendo, vel defendendo, & etiam cæcus, quia aures, & loquela ipsius suppleunt oculorum defectum.

Excommunicatus, & bannitus non possunt judicio agendo, sed bene vero defendendo interesse.

Mulier excommunicata potest agere ad dotem, quando vir ad inopiam vergerit, dummodo periculum sit in mora, & non possit absolutionem obtinere, dummodo hagat per Procuratorem.

Servus non potest judicio interesse, quia de jure civili pro mortuo reputatur, nisi his casibus: 1. In causa alimentorum sibi relictorum: 2. Quando se ad libertatem voluit procurare, ut quando testator jussit hæredi servum manumittere, & hæres non curat de

manumissione; his duobus casibus servus efficitur actor: 3. Quando sibi vult defendere libertatem, & hoc casu efficitur reus: 4. Quando vult defendere possessionem domini sui absentis, & indefensi, si non habet Procuratorem constitutum, quia si habet non est indefensus, & tunc servus non potest iudicio interesse.

Filius minor emancipatus, quia ei datur à Iudice curator, potest contra patrem iudicio stare, sicut cum extraneo, tamen si est contra patrem debet prius veniam petere, & obtinere.

Filius familias non potest iudicio interesse contra patrem, quia hoc est unum jus quod habet pater erga filium, & etiam quia in juris fictione pro una, & eadem reputantur persona, & denique quia inter patrem, & filium non potest esse lis, quæstio, nec iudicium.

Fallit tamen his casibus: 1. Quando agitur de castrensi, vel quasi castrensi peculio: 2. In causa alimentorum: 3. In casibus in quibus pater cogitur filium emancipare, his casibus debet prius obtinere veniam paternam: 4. Quando agit alieno nomine, cum extraneo est distinguendum, aut causa est de castrensi, vel quasi castrensi peculio, aut de adventitio, aut de profectio; si de castrensi, vel quasi, potest sine patris consensu, quia in eo reputatur ut pater familias.

Si de profectio est causa, non potest etiam cum patris consensu, quia nihil ad filium spectat.

Si de adventitio peculio est causa, est subdistinguendum: aut filius habet proprietatem, & usumfructum, tunc potest cum consensu, & voluntate patris, qui cogitur consentire filio agenti; si autem filius habet nudam proprietatem, & pater habet usumfructum, tunc pater debet agere, & filius consentire, propter auctoritatem in agentibus.

Furiosus, nec mentecaptus non possunt iudicio interesse, nec stare, quia carent sensu, & intellectu, neque mutus, surdus, nec apostata.

Monachus, & quilibet regularis professus non possunt iudicio interesse, quia iure civili pro mortuis reputantur, nisi sit ut Syndicus Monasterii.

Ordo iudiciarius est duplex; alter de substantia, & alter de iustitia.

De substantia est libelli oblatio, rei citatio, litis contestatio, dilationes, recusationes, petitiones, responsiones, interrogationes, confessiones, iuramentum de calumnia, testium depositiones, aut instrumentorum productiones, interloquutiones, appellationes, renuntiationes, conclusiones, sententiæ prolatio, & ejus executio, sub quo videtur ordo de iustitia.

Ordo de substantia omissus, vel perversus, vitiat iudicium, quæ sunt de iustitia non vitiant, sed faciunt locum appellationi.

Judiciarius, & juris ordo circa solemnitates processus non potest à partibus expresse remitti, bene tamen tacite per non oppositionem, & hic est unus ex casibus, qui plus operatur tacitum, quàm expressum.

Libellus est oratio brevis, intentionem actoris continens, & constat ex tribus, scilicet: 1. Narratione facti, quæ stat loco majoris propositionis: 2. Jure actoris, sive obligatione rei conventi, quæ obtinet locum minoris propositionis: 3. Conclusionem, quæ ex præmissis sequitur pro obtinenda iustitia.

Alio modo diffinitur libellus, scilicet: Parvus liber, seu modica scriptura, intentionem actoris continens, causam agendi denotans, & speciem futuræ litis demonstrans.

Citatio est necessaria in omnibus iudiciis, quia est de iure civili, & divino, & ultra ad omnes actus requiritur,

quiritur omnino ad sententiam, & debet esse peremptoria, aliàs non sufficit.

Citare reum, est eum vocare ut veniat in jus coram iudice respondere.

Dicitur *eum vocare*, nam necesse est ut citetur, ut merita causarum partium assertionem pandantur.

Ponitur *ut veniat*, idest personaliter, vel per alium, quod facere potest.

Scribitur *in jus*, idest in iudicio, *coram iudice respondere*, idest quod compareat coram iudice, & respondeat de iure suo.

Citatio fit duobus modis, uno per nuntium, ut est in foro sæculari, nam quando quis est absens, & debet citari coram iudice sæculari, vel potestate, tunc citatur per nuntium. Alio modo est per epistolam, ut in foro spirituali.

Possunt citare omnes, qui possunt iudicio interesse agendo, & citari possunt omnes, qui possunt iudicio interesse defendendo.

Litis contestatio, est negotii principalis hinc inde apud suum iudicem facta narratio.

Dicitur *negotii principalis*, quia tantum fit super negotio principali, & non super quæstione emergenti.

Ponitur *hinc inde*, idest ex omni parte, scilicet actoris, & rei, nam ut lis contestetur ambæ partes debent esse præsentem.

Adjicitur *apud suum iudicem*, quia expedit quod reus sit de jurisdictione sua.

Denique sequitur *facta narratio*, idest affirmatio, vel negatio.

Effectus litis contestationis, est quod ante litem contestationem non dicitur quis agere, sed velle agere, & lite contestata dicitur agere.

Positio est brevis oratio, continens factum ad eliciendam veritatem conceptam, vel est pars intentionis, continens id super quo quis petit ab adversario responderi.

Positio differt à libello, quia illa non habet conclusionem, is vero sic.

Positiones sunt inventæ, ut actor, vel ponens relevetur ab onere probandi per confessionem adversarii, & debent esse affirmativæ, quia negativæ nihil valent.

Ponens dicitur fateri omnia contenta in suis positionibus, quod contrarius non potest dicere, aliàs esset perjurus.

Responsio ad positiones non debet esse conditionalis, sed pura, & per verba *credit*, vel *non credit*, potest tamen esse relativa ad instrumentum, quando de eo fit mentio in positione.

Confessio, est certa, & clara asseveratio ejus, de qua queritur in jure, coram legitimo iudice facta.

Dicitur *certa*, quia ille, qui confitetur debet confiteri certe, & non incerte.

Ponitur *clara*, quia clare, & aperte debet confiteri, & non obscure.

Adjicitur *asseveratio*, nam qui confitetur debet asseverare antequam perveniat ad actum.

Adscribitur *ejus*, idest rei, de qua est lis, non autem alterius rei.

Sequitur *de qua queritur in jure*, nam si non confiteretur, de jure non valeret.

Denique *coram legitimo iudice facta*, quia debet fieri coram legitimo iudice.

Confessio procuratoris ad causas constituti in iudicio facta, domino non nocet.

Articulus, est nomen diminutivum, designans aliquid parti,

parti, & individuum in genere suo per debitas circumstantias decisum.

Articulus dicitur pars intentionis, continens illud quod actor, vel reus probare intendit.

Juramentum calumniæ, est cum quis jurat se bona fide, & non calumniandi animo velle agere, vel resistere.

Juramentum calumniæ petitum debet præstari, aliàs totus vitaretur processus, tam in civilibus, quam in criminalibus, licet fuerit positionibus cum juramento responsum, quod juramentum consuevit præstari in litis principio, quod hodie non est in usu, saltem in civilibus.

Calumnia, est injusta petitio, vel responsio.

Dilatio, est terminus qui datur à judice actori, & reo ad probandum, & edocendum de jure suo.

Probatio, est veritatis ostensio, idest judicem ad fidem deducere, vel est rei dubiæ per argumentum, seu fidem legitimam judici facta ostensio.

Dicitur *rei dubiæ*, quia de re dubia, & non indubia fit probatio.

Ponitur *per argumentum*, nam quandoque fit per argumentum, idest materia.

Adjicitur *seu fidem legitimam*, nam faciendo fidem legitimam judici quis probat de jure suo.

Denique sequitur *judici facta ostensio*, nam judici, & coram ipso, qui habet causam cognoscere, fit probatio.

Probatio est triplex, una perfecta, & est illa quæ fit per testes, vel instrumenta, aut per confessionem partis, non autem fit per argumentum.

Alia est plena, quæ nihil aliud est, quam judicem ad indubitatam fidem adducere.

Denique alia est concludens, & est quæ inducit judicem ad credendum.

Actori incumbit probare, seu onus probandi, nam qui agit probare debet.

Testes in iudicio esse possunt omnes, quibus non est prohibitum testificari. Puberi non prohibetur de his, quæ vidit in pupillari ætate, dummodo fuerit proximus pubertati, idest excesserit ætatem decem annorum cum dimidio.

Abbas, & alii Prælati non prohibentur testificari pro sua Ecclesia, seu Monasterio regulariter, quia excipiuntur aliqui casus.

Prohibentur impubes, minor 14 annorum masculus, & foemina 12, quia non possunt jurare.

Item servus dum est in servitute, patronus contra liberum sumi.

Infamis juris, & facti, carceratus dum est in carceribus, ille qui pretium recipit ut pugnaret cum fera bestia, quia vero similiter est, quod faceret testimonium pro pecunia, mulier quæ dat corpus suum ad meretricium pro pecunia, quia vero simile est quod pro pecunia diceret falsum testimonium, & est infamis.

Ille qui semel est condemnatus pro falso testimonio, quia malus semper præsumitur malus in eodem officio, hæreticus, pater pro filio, filius pro patre, exceptis duobus casibus, in quibus pater potest esse testis pro filio: 1. Est quando est quæstio de ætate: 2. Quando est quæstio de affinitate, quia pater melius parentelam cognoscit.

Item domestici, & familiares in causis domini, quia reprobatur domesticum testimonium, excepto casu, quando dominus vult probare furtum, vel homicidium in domo commissum.

Item exequutores negotiorum, tutores, & curatores nomine pupillorum, & adulatorum suorum, procurator

curator in causa domini sui, syndicus in causa collegii, universitatis, castri, burgi, & villa suorum.

Item advocatus in causis, in quibus advocaverit, nemo in causa propria, neque in ea ex qua sperat aliquod lucrum, seu aliquod damnum, socii ejusdem criminis.

Item qui falsum testimonium tulit contra se, amplius contra se testis esse non potest. Illi, qui ab aliquo imperari possunt, pro eo non possunt esse testes.

Item excommunicatus excommunicatione majori, exceptis quibusdam casibus.

Item cæcus regulariter non admittitur ad testificandum, nisi deposuerit de visis, & auditis ante cæcitatem, vel de aliis, quæ non visu, sed auditu percipiuntur, si habet notas voces loquentium, & falli non potest.

Monachi, & Religiosi possunt esse testes cum licentia superioris.

Licet testium citatio non sit necessaria, tamen optima est, ut magis fides adhibeatur eorum depositionibus, & quia testis sponte se offerens habetur pro suspecto.

Non cogitur esse testis senex, valetudinarius, sexagenarius, miles qui conducit præbendas exercitui, qui laborat pro republica, gener contra socerum, & alii.

Testes debent jurare nulla mixta falsitate, remoto omni odio, & amore, timore, prece, vel pretio, & dictum suum tenere secretum donec fuerit publicatum, & de veritate dicenda, non autem de calumnia, & quod pro testimonio nullum habeat pretium, nec quod aliquod damnum, vel lucrum spectet, quod juramentum debet præstare parte adversa præsentem, vel ad hoc citata.

Juramentum testium est necessarium, nec à judice dispensari potest, quamvis haberet liberum arbitrium, quia est substantia, & non solemnitas depositionis.

Pariter requiritur dies, mensis, & annus, qui sunt solemnitates, & de substantia.

Juramentum est causa ut credatur testibus, & peritis in arte, quibus sine illo non crederentur.

An testis possit mutare dictum suum? est distinguendum, aut loquutus fuit cum aliqua parte, & tunc non potest mutare; si vero loquutus non est, potest mutare.

Sed tene quod facta declaratione, & ratificatione non potest mutare dictum.

Ante sententiam opus est quod sit conclusum in causa. Hæc conclusio, sive processus denuntiatio operatur quod partes non possunt producere probationes, nec per testes, nec per instrumenta, exceptis casibus: *Primò*, quando post denuntiationem altera contendentium pars è vivis migraverit, quia tunc vel per testes, vel per instrumenta successio defuncti probari potest: *Secundò*, quando causa obdormivit longo tempore, & status causæ mutatus est.

Assignatio sententiæ est necessaria, quia ante assignationem ferri non potest.

Sententia est diffinitio judicialis controversiæ, dicitur vox judicis faciens ad causas.

Sententia est res individua, tamen si continet capitula separata, & materiam dividuam, potest separari, & valet in uno capite, si in alio non.

Sententia aut est mere diffinitiva, aut mere interlocutoria, aut mixta, quia est diffinitiva quo ad effectum, & interlocutoria quo ad nomen, & sic appellatur interlocutoria habens vim diffinitivæ.

Dicitur diffinitiva sententia lata in prætorio, ubi cum diffinit illud negotium, quod principaliter deducitur, & imponit finem controversiæ.

Sententia dicitur diffinitiva triplici respectu: 1. Ratione solemnitatis plenariæ de jure: 2. Quando inter partes totum finit negotium: 3. Quando parit actionem.

Etiã dicitur sententia diffinitiva, quando controversiarum finem judicis pronuntiatione accipit, quod aut absolute, aut condemnatione contingat.

Dicitur *controversiarum finem*, quia finem litibus, & controversiis imponit. *Judicis pronuntiatione*, quia per pronuntiationem quis efficitur dominus. *Quod absolute, vel condemnatione contingat*, nam debet pronuntiare condemnando, vel absolvendo.

Interloquutoria stricte, & proprie est, illa quæ fertur in medio causæ, & principalem non diffinit quæstionem.

Hæc ita diffinitur: Quodcumque judicantis præceptum, non naturæ, non juri, nec bonis moribus contrarium.

Dicitur *quodcumque judicantis præceptum*, nam à dicto præcepto potest appellari sententia interloquutoria. *Non naturæ*, quia non debet judex pronuntiare contra naturam. *Non juri*, quia judex non potest pronuntiare contra jus. *Nec bonis moribus contrarium*, quia est faciendâ secundum bonos mores, & consuetudinem.

Absolutus in expensis litis non censetur absolutus ad interesse, & damna partis.

Virtus, & effectus sententiæ interloquutoriæ est, quod potest retractari ab eodem judice, quia non omnis vox judicis est præceptum, nam quod virtute jussit prætor, id contrario imperio tolli potest. Diffinitivæ vero est, quod non potest retractari, quia judex postquam pronuntiavit finitum est suum officium; tamen si vellet retractari in eodem actu, & in ipso instanti potest.

Differunt diffinitiva, & interlocutoria: 4. Quia à diffinitiva valet appellatio sine expressione causæ, ab interlocutoria non valet, si causa non est incerta.

Secundò, quia diffinitiva debet fieri in scriptis, secus interlocutoria, licet in scriptis fieri possit.

Tertiò, quia interlocutoria non potest continere condemnationem in expensis, quia non diffinit negotium, diffinitiva vero sic.

Quartò, quia diffinitiva non potest ferri non oblato libello, & lite non contestata, & non servatis de jure servandis, secus interlocutoria.

Quintò, quia interlocutoria potest fieri per alium, secus diffinitiva.

Sextò, quia diffinitiva non potest revocari ab eodem iudice, interlocutoria sic.

Septimò, quia diffinitiva transit in iudicatum quoad iudicem, & partem, interlocutoria vero quoad partem tantum.

Octavò, quia in diffinitiva sunt acta narrari, secus in interlocutoria.

Nonò, quia diffinitiva diffinit negotium, & aliam sententiam non spectat, secus interlocutoria, quæ post se spectat sententiam.

Decimò, diffinitiva ex novis impugnatur, & justificatur, secus interlocutoria.

Undecimò, diffinitiva suspenditur per appellationem solam, & inducuntur attentata; interlocutoria non, nisi esset in libitum per iudicem ad quem.

Sententia habens originem, & fundamentum à contractu æquiparatur contractui; si vero à testamento æquiparatur ultimæ voluntati.

Regula est, quod de jure communi ab omni sententia potest appellari, nisi reperiat in specie prohibita.

Binæ dantur appellationis diffinitiones, una est: Sententiæ à minore iudice latæ, ad majorem facta provocatio. Alia vero: Sententiæ à minore iudice latæ per invocationem majoris iudicis, prætextu iniquitatis, primæ sententiæ facta rescisio.

Dicitur *sententiæ*, idest diffinitivæ, à minore iudice latæ, nam quando minor iudex facit sententiam, tunc ad majorem appellatur: per invocationem majoris iudicis, nam ille, qui appellat, invocat majorem iudicem: prætextu iniquitatis, nam quando iudex fert sententiam, si committit iniquitatem, quia gravat aliquam partem, appellatur ab illa sententia: facta primæ sententiæ rescisio, nam per appellationem rescinditur prima sententia.

Appellatio fuit inducta à legibus, ut per eam probationis suppleatur defectus.

Appellatio suspendit iudicatum, & sententiam, & ideo tam de jure canonico, quam civili debet interponi infra decem dies utiles quo ad sui initium, licet continuos quo ad progressum à die latæ sententiæ.

Ut currat decem dierum tempus ad appellandum sufficit intimatio sententiæ facta procuratori, vel eo præsentem lata sit.

Potest appellatio interponi, & admitti etiam diebus feriatis in honorem Dei, & debet interponi coram iudice à quo, & sic eo præsentem; attamen si est absens, valet interposita coram iudice ad quem.

Qui non appellat intra decem dies, sententiæ acquiescit.

Appellatio diffinitivæ differt ab appellatione interlocutoria: Primò, quia appellatio diffinitivæ ligat manum iudicis à quo, ita quod si post appellationem aliquid faciat, per viam attentati revocari potest, secus autem in appellatione interlocutoria.

Secundò, quia appellatio à diffinitiva non potest sen-

tentia exequi, secus interlocutoria, nisi sit inhibitus.

Tertio, quia appellatio à diffinitiva potest sententia impugnari, & justificari ex noviter productis, interlocutoria vero ex solis deductis, & probatis.

Appellationum alia est judicialis, alia extra judicialis, alia legitima, alia frivola, alia à diffinitiva, alia à interlocutoria, alia operatur effectum devolutivum tantum, alia suspensivum, alia necessaria, alia remota, alia canonica, alia civilis.

Supplicatio est recursus, qui conceditur grato à iudice, à cujus sententia propter excellentiam personæ non datur appellatio, & succedit loco appellationis prohibita.

Vel est, quædam benignitas superioris, per quem inducitur ad revocandum ea, quæ male acta sunt, & succedit loco appellationis.

Supplicatio, & appellatio licet æquiparentur, & pari pasu ambulent, tamen differunt in sequentibus: 1. Quia appellatio suspendit, vel rescindit sententiam, & facit illam iniquam, supplicatio vero validam: 2. Quia appellatio fit ad alium iudicem, supplicatio vero ad eundem: 3. Quia appellatio pluries, supplicatio vero semel tantum permittitur: 4. Quia appellatio suspendit executionem, supplicatio vero non, licet executionem petens debeat fidejubere.

Inhibitio, est provisio privativa jurisdictionis habentis, ac jurium partis inducens nullitatem actus in contrarium gesti, & poenarum comminatarum incursum.

Operatur inhibitio quod facta per inhibitum, post inhibitionem, sunt omnino nulla.

Exequutio, est quædam potestas, per quam sententiæ latæ vigor producitur ad effectum.

Dicitur *quædam potestas*, nam ille, qui habet sententiam executioni mandare, istam potestatem habet. *Perquam*, idest per sententiam, *vigor sententiæ latæ producit ad effectum*, nam ille, qui mandat sententiam executioni, habet istum vigorem.

Sententiæ executio est facienda citatis fidejussoribus, vel possessoribus, ac omnibus aliis interesse habentibus.

Non potest executioni opponi quando illi fuit renuntiatum, vel in contractu est appositum juramentum, vel guarentigia; fallit tamen in tertio possessore, qui non intervenit in contractu.

Inter mercenarios non est necessaria executio, cum inter eos agatur de bono, & æquo respectu fidejussoris, secus autem respectu tertii possessoris.

Neque est necessaria quando quis se obligat principaliter, & insolidum in eodem instrumento, secus autem ex intervallo.

Pariter non est necessaria quando bona debitoris sunt penes fidejussorem, quia est illius hæres, vel quando creditor est debitor fidejussoris, vel vult cum eo compensare.

Executor sententiæ datus antequam executioni demandet sententiam, necesse est quod sibi legitime constet de sententia, & quod suo aspectu appareat valida, aliàs executio est nulla.

Debet fieri sententiæ executio servato ordine; scilicet prius mobilia, deinde immobilia, & denique debitorum nomina, aliàs non valeret propter ordinem non servatum.

Non debet fieri executio super pallea, vestibus, lecto, & aliis rebus similibus necessariis, deservientibus ad usos necessarios, pauperrimi debitoris, illius uxoris,

ris, & familiæ, secus in superfluis, & duplicatis, vel ad ornatum.

Fieri non potest in bonis propter inopiam viri uxori assignatis, pro debito ipsius uxoris, tanquam alienis, cum talis assignatio non sit vere dotis restitutio, nec pro debito mariti in bonis uxoris.

Neque fieri potest in rebus pertinentibus ad agriculturam, nec in libris scholarium, sive DD., etiamsi non existant alia bona.

Pariter fieri non potest in armis, nec in æquis, nec in stipendiis militum.

Rursus fieri non potest super vestibus, jocalibus, & similibus rebus pretiosis per maritum, vel socium traditis, & concessis uxori, etiam ad simplicem usum, & non donatis, & si fit est nulla, & quamvis ipsa mulier talia bona exequutoribus voluntarie tradiderit, posset juvari Velleyano, cum illa pro ornatu suo retineat.

Debitor ad evitandam omnem exequutionem realem, & personalem, si habet promptam pecuniam potest tradere exequutoribus, & cessat exequutio.

Virtus, & effectus exequutionis est, quod exequutio probat vigorem sententiæ, aliàs sententia nullum habet vigorem.

Cautio est multiplex, quædam est quæ præstatur pro forma, ut cautio usufructuarii, quæ est præstanda à quocumque quantumcumque idoneo.

Quædam præstatur expressa, & speciali ordinatione legis, quæ etiam præstatur à quocumque quantumcumque idoneo.

Quædam est extraordinaria, quæ ex emergentibus causis, & variis rerum figuris oritur, & ista habet locum in omnibus judiciis.

Alia est necessaria, quæ à lege inducitur, licet à principio ortum habeat à voluntate.

Alia voluntaria, quæ absolute à voluntate nostra pendet.

Alia juratoria, quæ locum habet in personis illustribus, vel quando impossibilitas hoc suadet.

Alia est mere conventionalis, quæ committitur secundum poenam, non habito respectu ad interesse.

Alia judicialis, & prætoria, quæ committitur habito respectu ad interesse, & quandoque ad spretum, vel contemptum.

Alia est ad liberationem, seu obligationem inducendam.

Alia ad obligationem productam probandam.

Alia ad obligationem consolidandam.

Filius familias agens in judicio tenetur præstare cautionem de expensis reficiendis, si petantur.

Fœmina, quæ non potest carcerari, tenetur fidejungere de expensis in judicio, quia ubicumque subest causa timendi quod sententia sit elusoria, judex potest inducere cautionem fidejussoriam.

Forenses non subpositi, & non habentes bona in loco judicii, tenentur cavere, sive agant, sive conveniantur de expensis reficiendis.

Obligatus facere, vel non facere, tenetur cavere de faciendo, vel non faciendo.

Debitor condemnatus ad solvendum, si ei datur terminus miserationis causa, compellitur fidejussorie cavere.

Cautio juratoria admittitur, quando is, qui debet cavere cum fidejussoribus, non potest ob ejus paupertatem.

Satisfatio, & cautio cum fidejussoribus importat, ut per eam redditur securus ille cui satisfatur.

Fidejussor de judicio sisti obligatur pro principali, quia est principalis in judicio, & tenetur usque ad sententiam.

Operatur satisfactio de judicio sisti, quia si non sistit, non liberatur presentando, vel exhibendo personam pro qua promissit.

Item operatur, quod si principalis, pro quo fuit promissum, non steterit in judicio, cum primum non sistit, quia est contumax, vel in respondendo libello, vel positionibus, ut teneatur ad totale interesse, etiam non spectato quod sit contumax in tota causa.

Item operatur, quod si moritur principalis existens in mora, non liberatur fidejussor, secus si ante moram commissam.

Item operatur, quod si datur alius terminus principali ad purgandam moram, & moriatur principalis in secundo termino, non liberatur fidejussor de judicio sisti.

Item operatur, quod si banniatu principalis, non liberatur fidejussor, si bona non incorporantur, vel acceptantur per Fiscum, quia quatenus non sufficient tenetur fidejussor.

Satisfactio de judicio sisti, & judicatio solvendo operatur, quod ille qui satisfact, patitur executionem taxativam expensarum, & condemnationis factae contra principalem, pro quo satisfact, licet ipse satisfactans non fuerit citatus.

Differunt satisfactio de judicio sisti, & satisfactio de judicatio solvendo: *Primò*, quia satisfactio de judicio sisti operatur lata sententia, secus vero de judicatio solvendo.

Secundò, quia satisfactio de judicio sisti praestatur, sed non de judicatio solvendo ab eo qui nomine suo agit.

Ter-

Tertiò, quia satisfactio de iudicio sisti recipit solam justitiam, & cohæret personæ; quia sistere est factum personale, & ideo finitur mortuo principali sine mora, & lata sententia liberatur; fidejussor de iudicato solvendo non liberatur principali mortuo.

Alia est cautio de restituendo prioribus, & potioribus, & operatur, ut debitor non sit liberatus, nec creditum extinctum, tamen si est de restituendo in eventum subcumventiæ pecunias, quæ solvuntur, operatur liberationem solventis, & præservat jus contra recipientes.

Notarius tenetur de proprio si recipiat fidejussionem decretatam à iudice sub nomine fidejussoris idonei, & non sit idoneus, & tenetur de dolo, & lata culpa, si minus idoneum recipiat fidejussorem.

Notarius approbator fidejussoris tenetur ut fidejussor, maxime si approbatio fit in iudicio, etiamsi esset deputatus ad recipiendum fidejussores, & illos approbandum.

Tamen à prædictis excusatur si recipiat laudatores, & approbatores, si fit de mandato iudicis, si debitor principalis sit dives, & solvendo, si recipit fidejussorem in præsentia partis non contradicentis, & quando fidejussor erat solvendo tempore fidejussionis, licet postea non solvendo sit factus.

Alia est cautio de demoliendo, qua quis promissit opera facienda demolire in casu subcumventiæ.

Alia de altius non tollendo, qua promittitur, quod opera non continuabuntur, nisi ad talem altitudinem.

Renuntiatio est, quædam abdicatio juris, vel rei renuntiata, vel est rei, vel juris spontanea refutatio, & dicitur quædam alienatio.

Renuntiatio juris quæsiiti dicitur quædam donatio, vel saltim habet vim donationis.

Habet renunciatio vim repudiationis, quando quis renuntiat hæreditatem sibi delatam antequam adierit, quo casu portio accrescitur portioni.

Renunciatio est obligatio, quia qui renuntiat obligatur, & ideo renuntians liti, & appellationi, tenetur reficere expensas adversario, nisi renunciatio procedat ex causa de novo superveniente.

Liti, & causæ renunciatio, est remissio omnis juris, & ideo renuntians liti, & causæ, tenetur remittere omne quod habet in reo, cui renuntiat.

Actor renuntians liti, & causæ in favorem rei, remittere intelligitur in reo omne jus quod habet in causa, & ideo judicium debet esse absolutivum.

Renuntians jus suum non habet amplius regressum ad illud, & dicitur se obligare ad ulterius non petendo, quia post renunciationem non datur regressus renuntianti.

Renuntians dicitur jus suum extinguere in se ipso, non autem in eo in quem transfertur.

Liti, & causæ pendenti renuntians, dicitur imponere finem liti, quia talis exceptio dicitur litis finitæ, ejusque impedit ingressum.

Post renunciationem liti, & causæ factam, reus debet absolvi à petitis, casu quo reus volit sententiam, quam obtinere debet suis, & non renuntiantis expensis.

Tamen judex sciens fuisse liti, & causæ renunciatum, non tenetur sententiare, quia alia non requiritur sententia.

De Criminali Judicio.

Crimina, alia sunt publica, quorum exequutio, seu accusatio competit cuilibet de populo, vel ad publicam utilitatem spectat, ut homicida, parricida, & crimen læsæ majestatis.

Alia sunt privata, quorum exequutio, idest accusatio, vel denuntiatio spectat ad illas tantum personas, quibus inferuntur, ut furtum, damna illicita, adulterium, & similia.

Quædam sunt capitalia, in quibus poena sanguinis irrogatur, & ultimo supplicio delinquentem efficiuntur.

Quædam non capitalia, in quibus irrogatur poena pecuniaria.

Crimina, quædam sunt læsæ majestatis divinæ, quædam læsæ majestatis humanæ, quædam conspiracy, quædam falsæ monete, quædam latrocinii, quædam maleficii, quædam mathematici, in quibus omnibus potest reus de sociis interrogare.

Prædictorum reorum criminis læsæ majestatis, statim perpetrato crimine, eorum bona confiscantur, & ipsorum bonorum dominium, & administrationem amittunt.

Socius criminis dicitur, qui pro occultando latronem, illum capere omittit, propter quod delictum suum facere dicitur.

Receptare proprie est, abscondendi causa, refugium reo præstare in suo agro, vel edificio, aut alieno.

Præbentes alimenta illis, qui pacem publicam perturbant, receptatores dicuntur, & etiam qui res furatas recipiunt, contra quos potest procedi, præcedente provisione de capiatur in scriptis facta, nisi coacti fuerint alimenta præstare.

Accusare est, aliquem reum criminis per libellum facere, & vindictam de eo fieri postulare.

Accusatio est, alicujus criminis ad vindictam publicam, legitima interveniente subscriptione petitio, quæ subscriptio ad poenam talionis hodie sublata est.

Licet antiquitus accusatio fieri non poterat per scripturam, sed per verba, quia nemo absens accusare poterat, tamen hodie potest fieri per procuratorem, speciale mandatum ad id habentem, & debet jurare verum esse quod denunciat, seu accusat.

Accusare non potest qui inimicus fuit, ne vindictam faciat.

In accusatione requiruntur : 1. Nomen accusatoris bene determinatum nomine, pronomine, & cognomine, & nomine loci, & hoc si accusat nomine proprio: 2. Nomen accusati bene declaratum, sive sit unus, sive plures: 3. Quod apponatur bene crimen perpetratum, & commissum: 4. Ponere locum, in quo fuit commissum delictum, sive crimen: 5. Apponere mensem, & annum, & quorum concilio fuit commissum.

Dies, vel hora non requiritur, sed possunt apponi si accusator velit.

In inquisitione autem particulari dies, vel hora sunt apponendæ, quia reus potest se defendere tali die, vel hora se alibi fuisse.

Omnes accusare possunt, quibus à lege non est prohibitum.

Debet accusator jurare, quod non accusat animo calumniandi, nam semper jurare debet de calumnia.

Calumniator est, qui accusat, & non habet probationem de crimine.

Prævaricator, qui pro una parte animo, & pro alia corpore est.

Accusator secretus habetur pro inimico, & non potest esse testis; accusator, nec accusatus non possunt sibi invicem facere positiones.

Prohibentur accusare mulier, nisi in casibus sequentibus: 1. Quando vult accusare de morte parentum suorum: 2. Quando est de descendantibus, & de morte liberorum: 3. Quando prosequitur suam, vel suorum injuriam: 4. In crimine læsæ majestatis: 5. Quando quis emit frumentum causa faciendi inopiam, vel caristiam: 6. In crimine suspecto, nam potest accusare tutorem, & curatorem de suspectis.

Pariter prohibentur accusare miles, nisi sit de morte parentum suorum, vel quando prosequitur suam, vel suorum injuriam, & in crimine læsæ majestatis, quia publicum est. Item impubes, nisi sit de morte parentum, quia sua interest, in aliis vero non, quia non interest.

Solum maritus potest accusare uxorem adulteram, & sine ejus accusatione non potest procedi ad causam, qui tamen tenetur idonee cavere.

Inquisitio est, informatio judicis officio, & auctoritate facta.

Inquisitio, alia est generalis, quæ scilicet in certo delinquente per judicem fit ad generaliter inquirendum quodnam delictum commississe, desuper generales informationes assumendo: Alia vero specialis, quæ fit per judicem contra singularem personam, de cujus delicto jam curia notitiam habuit; sicque generalis inquisitio fit ad investigandum, specialis vero ad eastigandum.

Commisso delicto facti permanentis, visuratur corpus delicti, de quo vestigia remanent, ut homicidii ipsum cadaver. Incendii locus combustus, & similia per Judicem, vel Alguatirium, & Notarium, qui eo-

pus inspiciat, & scribat vulnera, v. g. in homine interfecto.

Alia vero sunt delicta, in quibus non requiritur investigatio super veritate delicti, ut sunt illa, quæ animo committuntur, ut hæresis, vel illa, quæ licet facto committantur, nulla solent remanere vestigia, ut adulterium, & alii coitus, quæ sine fractura committuntur, furtum, persecutiones, ut alapa, vel baculo sine livore, injuriæ verbales, in quibus nulla requiritur investigatio, sed statim porrecta querela potest, & debetur inquirere contra delinquentem, assumendo contra eum informationes.

Inquisitio delicti debet esse certa, specifica, & clara, continens in se omnes qualitates, & circumstantias.

In ipsa inquisitione dici debet, quod N. commisit tale furtum in tanta quantitate contra N. tali die, mense, anno, & loco; aliàs esset nulla, & inepta.

Prædicta procedunt in delictis, quæ temporis momento committuntur, secus in aliis habentibus tractum successivum, & in crimine læsæ majestatis.

Sicque processus criminalis inchoari debet per præventionem factam à Fisci Procuratore, vel ex Judicis officio, quæ resultare solet, vel ex diffamatione, vel ex partis querela, vel ex denuntiatione, & ideo in Cathalonia processus criminalis est Fisci, qui principaliter agit ad vindictam publicam, sed non impeditur quod pars læsa veniat ad causam.

Dicta præventio est principium, & fundamentum inquisitionis, sine quo inquisitio extare non potest, imo esset nulla.

Testes qui esse, & non esse possunt jam dictum est in §. De Judicio Civili.

Testes in offensam examinandi sunt per judicem.

Tamen si testes examinandi sunt extra locum residentiae concilii, in causis regaliae possunt inquirendo recipi per aliquem Alguatirium, seu Commissarium regiae curiae, nisi Judex vellet per se videre, & examinare, quia tunc citantur ut veniant personaliter ad deponendum.

Ante depositionem debetur à teste exigere juramentum de veritate dicenda, & non aliàs, & secreta, & sigillatim examinare separatim, ita ut si fieri potest neuter sciat quod alter deponat.

Testium depositiones in regia curia continuari debent per Scribam, seu ejus substitutos Notarios habiles, & sufficientes.

Scriba causae debet scribere attestations testium de verbo ad verbum, sub poena privationis officii.

Facta depositione legi debet testi, qui firmare tenetur si scribere scit, sin autem alter pro eo.

Interrogatoria à reo inquisito dari non possunt ad interrogandum testes, qui in offensionem recipiuntur.

Frater contra fratrem non admittitur in causa criminali, nec clerici sunt compellendi.

Fit citatio ut reus per eam vocetur ad dandam rationem de his, de quibus impartitur, & ad se defendendum; sed hæc citatio vocando reum fit quando est absens per proclama de speciali judicis commissione, & non est necesse quod exprimat causa pro qua citatur, nec inserendus est inquisitionis tenor, sed sufficit dicere, quod compareat responsurus cuidam accusationi contra eum, instante Fiscii Procuratore, factæ.

Si reus est præsens, seu carceratus, ejus confessio deservit pro citatione.

Reo publicatur inquisitio cum præfixione termini ad se defendendum, etiamsi reus sponte delictum confessus fuerit.

Defensiones sunt de jure divino, canonico, & naturali.

Confessio, seu depositio rei soli Notario non committitur, sed debet fieri coram Judice, & Notario, & si reus est minor 25. annorum, debetur illi assignari curator, ut minorem defendat, alias processus esset ipso jure nullus.

Facta depositione, seu confessione, medio juramento, reo legitur in curatoris presentia, & Scriba causæ ponat: Fuit sibi lectum, & perseveravit, presente N. Judice, & N. illius curatore.

Majoribus vero non opus est curatorem dari, & si ve major, sive minor sit reus, non exigitur juramentum de facto proprio, sed alieno tantum, ut testis; quia nemo tenetur ad detegendam propriam verecundiam.

Notificationes omnes fieri debent, nedum minori, sed etiam suo curatori.

Reus suæ defensioni renunciare non potest, etsi renunciat, renunciatio est nulla.

Facta publicatione, si reus petit copiam sibi dari, tenetur Notarius, satisfactus in suo salario, copiam tradere: At si reus non vult copiam, sed processus communicationem, tenetur Notarius communicare, sub poena privationis salarii.

Si autem in eadem causa alii sunt convicti, non tenebitur Notarius communicare processum, sed copiam tradere, tamen hodie communicatur, præstito juramento per patronum, & defensorem de neutri revelando contenta in processu.

Si autem reus est pauper receptus in pia elemosyna, nihil pro copia, & communicatione Notarius exigere potest.

In causis lenonicii, & nonnullis aliis, nomina testium

tium non comunicantur reo, sed remanent penes Judicem, & Notarium guarismatim, & in depositionibus dicitur: testis numero 1. deposuit: testis numero 2. deposuit, & sic cæteri testes deponentes.

Testes defensionis recipi debent à Judice, nec Notarius Judice præsentate potest eos interrogare, tamen in casu gravi, & justo impedimenti recipi possunt per commissionatum à concilio.

Appellatio est de minori ad majorem judicem provocatio.

Appellare potest à sententia diffinitiva, & provisione vim diffinitivæ habente.

Non possunt appellare latrones, viarum publicarum grassatores, homicidæ, insidiosi, proditores, fabricatores falsæ monetæ, committentes crimen læsæ majestatis, seu sodomix, committentes crimen de nefando, simonia, virginis strupatores, & criminosi de hæresi.

Dicta appellatio est interponenda intra tres dies à die latæ sententiæ, & notificationis reo factæ, quæ notificatio est facienda per Scribam causæ, & appellatione durante appellans manet carceratus.

A sententia Principis appellare non licet, sed tantum supplicare ad ipsum, cum in temporalibus superiorem non recognoscat.

Supplicatio est, quædam precum porrectio facta Principi, per quam ex quadam benignitate superior restituit supplicantem adversus sententiam, contra quam non competit remedium ordinarium appellationis propter judicis excellentiam.

Recursus in criminalibus est species appellationis.

Recursus est refugium oppressorum, consolatio desolatorum, via judicum errantium.

Recursus est in duplici differentia, quidam est, qui inter-

interponitur per hominem captum in posse officialis ordinarii, vel baronis: Et quidam est, qui interponitur per arreptionem itineris, ut quando reus accedit ad superiorem, & ponit se in ejus posse captum.

Differt recursus ab appellatione, quia ista interponitur à diffinitiva sententia, seu provisione vim diffinitivæ habente; recursus vero à procedimentis, quæ gravatoria prætenduntur, & quæ in decursu causæ fiunt.

Reorum à carceribus relaxatio fit secundum judicis provisum, sic solo Notario incumbit carceris custodi per se provisum relaxationis notificare.

BREVIS DE LAUDEMIORUM, JURIS prælationis, & Amortisationis materia Tractatus, in 3. §. divisus.

§. I.

De Laudemiis.

Bona, quædam alodialia, seu francha dicuntur, hæc sunt propria possidentis, quæ à nemine tenentur, & nulli recognoscuntur, nisi soli Deo; ita quod nemini personalem, seu pecuniariam servitutem debent, & onus non potest imponi sine possidentis consensu, qui independenter ab alio libere disponere potest.

Quamvis talia possidens bona recognoscat dominium habentem jurisdictionem in exercitio, nihilominus alodialia, & francha dicuntur, quia alodium est mera proprietas, nihil habens commune cum jurisdictione, & possunt simul stare in eodem territorio, & fundo, nam jurisdictio, territorium, & districtus sonant in superioritate cohærtionis.

Proprietas enim dicit nudum dominium, à formali

usu separatum, & sic dominus alodialis est dominus supremus, neminem in ipsa re recognoscens, nisi solum Deum.

Bona etiam decimæ præstationi subjecta, francha, & alodialia dicuntur, si decimam percipiens tantum habet nudum jus percipiendi.

Alia bona sunt feudalia, quæ ab aliquo possidentur, alterius recognitioni subjecta, quorum possidens dominium superiorem recognoscit, cujus dominus in casu alienationis, si vult, cæteris præfertur, & sine ejus consensu alienari non possunt.

Dicuntur feudalia, quia nullo imposito canone, sed benevolè, & pro personali obsequio concessa sunt, & ideo feudum non rei, sed personæ inhæret.

Alia sunt bona emphyteuticaria, quæ etiam possidentur ab aliquo dominium superiorem recognoscen- te, sine cujus consensu alienari non possunt, & in casu alienationis, si vult, etiam cæteris præfertur.

Dicuntur emphyteuticaria, quia non benevolè, & pro homagio, sed cum canonis impositione concessa sunt, nam de natura substantiali emphyteusis est, quod pensio, seu canon domino præstetur, & sic emphyteusis rei, & non personæ inhæret.

Denique alia sunt bona condititia, quæ nec feudalia, nec emphyteuticaria dicuntur, sed censualia, & ista sunt illa quæ, ea alienans, cedit omne jus quod in re habet, cum pacto quod acquiritor habeat sibi solvere aliquem censum, & tunc alienans non est dominus, nec acquiritor emphyteota, sed censitor.

Iste contractus potest fieri per modum concessionis onerosæ, donationis inter vivos, & in ultima voluntate; sicque iste contractus à contractu censualis mortui differt, quia pensio istius non est prædiaria, licet sit

in nuda perceptione, nec constituitur ratione concessionis prædii, quamquam pro ea solvenda aliquod prædium specialiter obligetur, sed tantum constituitur in emendam, & compensationem, seu interesse pretii, quod ab emptore datur.

Laudemium est jus pecuniarium domino directo debitum in signum, & recognitionem novi possessoris fundi.

Sic laudemium diffinitur: Illa pars pretii, seu æstimationis rei, quæ ad aliam transfertur personam domino directo debita propter firmam, & laudamentum novi emphyteutæ, juxta regionis consuetudinem solvenda.

Dicitur: *Pars pretii, seu æstimationis rei*: Quia debetur nedum de alienatione onerosa, verum etiam de lucrativa, nam si res venditur, solvitur de pretio; si vero donatur, vel alio lucrativo titulo distrahatur, solvitur de æstimatione prædii.

Quæ ad aliam transfertur personam, nam ut debeatur, & exigi possit, requiritur quod vera, realis, & actualis rei traditio subsequatur, non vero sufficit ficta traditio, nec ex ea debetur laudemium.

Licet verum sit quod ficta traditio, quæ fit per precarium, vel simplicis clausulam constituti, eosdem producat effectus, quo ad acquisitionem dominii, sicut vera, & realis traditio, quæ fit per realem immissionem in possessionem; tamen verum est in alodialibus, & franchis nulli domino subjectis.

In feudalibus vero, & emphyteuticariis bonis, in quibus dominium superiorem recognoscitur, sine ejus consensu alienatis, dicta ficta traditio quo ad acquisitionem dominii nullum operatur effectum, nec acquirenti jus in re constituit.

Nam ad solum dominum directum pertinet novum vassallum, vel emphyteutam investire, eum in possessionem mittere, & verum dominum utilem facere.

Domino directo debita propter firmam, & laudationem novi emphyteutæ: Quia debetur, & datur domino directo propter calamum, & subscriptionem, sive laudationem, quam facit novo emphyteutæ.

Domino enim damnum efficitur recipiendo novum emphyteutam, & gravatur novum debitorem invitus accipere contra jus commune.

Juxta regionis consuetudinem solvenda: Quia in laudemiorum solutione standum est mori, & consuetudini regionis, pactis deficientibus.

Unde in laudemiorum solutione recurrendum est, primo ad pacta, istis deficientibus ad consuetudinem, hac non stante ad jus commune.

Tituli lucrativi sunt donatio, legatum, hæredis institutio, substitutio, fideicommissum, successio ab intestato, & similes, in quibus aliquod onus ratione rei non imponitur in acquirendo.

Onerosi vero tituli sunt venditio, permutatio, insolutum datio, subemphyteuticatio, & similes, in quibus ratione rei, seu ex substantiali natura contractus aliquid imponitur onus in acquirendo.

Sed an hæredis institutio, cum conditione quod hæres teneatur solvere debita testatoris, legata, tam pia, quam profana, & quod annuatim teneatur celebrari facere tot missas, vel anniversaria, dicatur titulus onerosus? negative, quia debita testatoris, & legata jam in hæreditate hæredis, & etiam quia non sunt in hæreditate; celebratio missarum, vel anniversariorum est quid reservatum à testatore ex fructibus hæreditatis, & hæres tantum instituitur in reliquis bonis.

Similiter donatio cum aliqua reservatione favore donatoris, vel alterius tertiæ personæ, non dicitur titulus onerosus, sed lucrativus, quia reservatum non venit in donatione.

Laudemium de jure communi est quinquagesima pars pretii, seu æstimationis rei, quæ ad aliam transfertur personam, quæ tertium, seu foriscapium nuncupatur.

De jure vero hujus patriæ Cathalonix proprie in feudis est decima pars æstimationis rei in titulis lucrativis alienatis in ascendentibus (exceptis patre, vel matre), aut collateralibus, & aliis personis.

Si vero titulo oneroso alienetur, tunc laudemium est tertia pars pretii, seu æstimationis.

Attamen si res feudalis titulo lucrativo distrahatur in descendentes per patrem, aut matrem, nullum debetur laudemium, licet qui feudum, seu emphyteusis in descendentem transfert, sibi, aut alii retinuerit rem, vel pecuniæ quantitatem dandam, vel solvendam per descendentem, in quem feudum, seu emphyteusis transfertur.

In emphyteusis vero quædam habetur consuetudo antiqua, quæ licet dicatur una ex usantiis Gerundæ, tamen observatur per totam Cathaloniam.

Tria sunt jura consuetudinaria in Cathaloniam, quæ est à lupricato citra, quæ pertinent dominis, & vocatur consuetudo antiqua, quæ fuit, & est.

Primum jus, est tertium subaudi, sive simplex, sive directum, & pertinet dominis, quando res quæ pro eis tenentur venduntur, & dicitur tertium, si antequam fiat venditio emphyteuta conveniat cum domino, quod sibi dabit tertiam partem pretii, & in hoc casu laudemium est pars pretii.

Si

Si autem fit venditio ante conventionem, dominus directus habet medietatem de toto eo, quod emphyteuta habuit de re, quia tunc emptor sciens se soluturus esse laudemium, non dat nisi duas tantum tertias partes rei valoris, & tertia pars datur domino pro laudemio, quo casu laudemium non est pars pretii, & dicitur tertium avant.

Tamen emphyteuta vendens conveniat, vel non cum domino de solvendo sibi laudemium, non solvitur nec plus, nec minus quo ad contrahentes, nec quo ad dominum.

Sed tamen operatur conventio, quod si emphyteuta vendens prius conveniatur cum domino de quantitate laudemii solvenda, tunc dominus directus privatur fatica, quia per conventionem ei renunciare videtur.

Bene tamen possunt contrahentes inter se pacisci, quis eorum laudemium solvet, non vero de quantitate solvenda, quia hoc solum fieri debet cum domini consensu.

Secundum jus est medium tertium, & medium laudemium, & domino pertinet quando res, quæ pro eo tenetur donatur, legatur, vel alio lucrativo titulo alienatur.

Tertium jus est laudemium quod pertinet domino quando res, quæ pro eo tenetur, alicui specialiter obligatur, quod in feudis est vigesima pars ejus quantitatis, pro qua res specialiter obligatur, in emphyteusis vero decimâ pars quantitatis, pro qua res specialiter obligatur.

Tamen ut ex speciali obligatione rei feudalis, seu emphyteuticariæ debeatur laudemium, necesse est quod res specialiter obligata vere, & realiter tradatur, & tunc requiritur domini consensus, quia specialis obligatio, cum rei traditione, est species distractionis.

Si vero res non traditur traditione verè, propriè, & realiter, sed tantum ficta, non debetur laudemium, nec domini consensus requiritur.

Dominus directus non potest cogere debitorem, nec creditorem ad realem traditionem rei specialiter obligatæ.

Res feudales sine domini consensu possunt à marito obligari uxori pro ejus dotis tuitione, nec est debitum laudemium, & pari modo res emphyteuticariæ.

Si res specialiter obligatur, & realiter tradatur ipsimet domino directo, nec requiritur ejus consensus, nec debetur laudemium, quia non fit alienatio.

Extra Civitatem Barcinonæ, & ejus suburbia, hortosque, & vinetum ejusdem, non fit divisio alodiorum, cum utraque alodia habeant laudemium uniformiter, & in aliquo non differunt, cum non sint comprehensa in sententia arbitrari.

Neque extra prædicta loca sunt domini medii, & si inveniuntur stant in nuda perceptione, & non habent, nec recipere possunt aliquam partem laudemii, bene vero habent firmam, & faticam, nec possunt firmare cartam precariam emphyteutæ utili, sed tantum dominus directus.

In feudalibus vero possunt extare domini medii ut castlani, unus post alium, & feudum unus pro alio tenere, ultra dominum feudi.

Etiam dicti domini medii, seu castlani possunt habere dominium, & partem laudemii in casu alienationis, dando domino superiori duas tertias partes, reliquam vero tertiam partem dominis mediis, scilicet immediato possessori; si duo sunt, duas tertias partes dictæ tertię partis, & primo domino medio reliquam tertiam partem; si vero tres sunt, dicta reliqua tertia pars inter eos æqualiter dividitur.

Alio etiam modo dividitur, scilicet domino superiori medietas datur, alia vero medietas domino medio, si unus est; si duo, primo tertiam partem medietatis, & ultimo reliquas duas partes; si vero tres sunt, æqualiter inter eos dividitur medietas.

Et quando in feudo sunt unus, vel plures medii, seu castlani, in casu alienationis dominus superior non potest emere rem feudalem, neque jure prælationis retinere.

In Civitate autem Barcinonæ, & ejus suburbiis, hortisque, & vineto ejusdem fit divisio alodiorum, & laudemium diversimode solvitur.

Civitas enim Barcinonæ est, omne id quod murorum ambitu clauditur, in quo suburbia comprehenduntur, & omnia prædia, quæ intra dictos sunt muros, in Civitate esse dicuntur.

Tempore sententiæ arbitralis suburbia erant à pomario ejusdem Civitatis versus occidentem, nunc vero murorum ambitu comprehensa sunt, & sic in Civitate esse dicuntur.

Nonnulli tenent, quod nunc suburbia sunt vicinatus vocatus, unus Barceloneta, & alius vicus de Jesus, quia Civitati sunt proxime, & immediate contigui.

Cives Barcinonæ dicuntur, qui inter ambitus murorum dictæ Civitatis habitant, dummodo morantur domiciliati per annum, & diem, & qui morantur cum aliis pro famulis, ut cives reputantur.

Horti, & vineti Barcinonæ, qui sæpius nomine territorii appellantur, sunt, quantum comprehenditur intra limites Parochiarum præsentis Civitatis, extra tamen muros ejusdem, & in Parochiis Sancti Martini de Provensals, Sancti Vincentii de Sarriá, & Beate Mariæ de Sans, & omnia prædia intus intra terminos

dictarum Parochiarum extra muros dicuntur esse in hortis, & vineto.

Est etiam in dictis horto, & vineto Parochia Sanctorum Gervasii & Protasii de Cassolas, quia est intus terminum dictæ Parochiæ Sancti Vincentii de Sarriá, licet de ea in sententia arbitrari nulla sit facta mentio.

Forenses sunt, qui non sunt cives Barcinonæ, seu habitatores dictæ Civitatis, & habitant extra muros ejusdem, licet habitant intus dictos hortos, & vine-tum, & dicuntur forenses, seu extranei, quia non solvunt onera dictæ Civitatis, nec ejusdem gaudent officiis, & honoribus; sed hodie reputantur ut cives, maxime moratores Parochiæ Beatæ Mariæ de Santis, quia sunt alter ex gremiis dictæ Civitatis, & vocantur in convocacione dictorum gremiorum, sed ex consuetudine visum est habitatores dictarum Parochiarum teneri ut cives in laudemiorum solutione.

Prædia in dicta Civitate Barcinonæ, & ejus suburbiis, quædam urbana, & quædam rustica dicuntur. Urbana sunt omnia ædificia, quæ habitandi causa facta sunt, sive sint in urbe, sive in villa, quia urbanum prædium non facit locus, sed materia.

Et quamvis in istis prædiis inveniantur stabula, horrea, cella vinaria, & alia servitia, nihilominus prædia urbana dicuntur.

Nam quæ ædificiis habitandi causa factis juncta sunt, reputantur ut accessoria, & ista ad naturam, & qualitatem suorum principalium trahuntur, & ab eis non separantur, & majus principale ad se minus principale trahit.

Rustica prædia sunt in duplici specie, quædam sunt quæ non habitandi causa facta sunt, sed tantum fructuum reponendorum; alia vero, quæ nullum continent

ædificium, ut ager, hortus, vinea, silva, nemora, & similia.

Licet prædiorum divisio posita sit per jurisconsultos propter prædiales servitutes; tamen hic adducta est propter laudemii solutionem, quod de urbanis uno, & de rusticis alio solvitur modo; sed non desunt tenentes, quod in hortis, & vineto non dicitur dicta divisio fieri, sed eodem judicari jure tam rustica, quam urbana, scilicet ut rustica, & quod ad laudemii solutionem nulla fit differentia.

Primò, quia prædia urbana in hortis, & vineto solent esse inter prædia rustica, quæ præponderant, & magis sunt valoris, & sic denominatio, & qualitas fit à majori, & cum prædia rustica sint majora, & majoris valoris, ideo urbana in eis existentia ut minora ad illa trahuntur.

Secundò, quia urbanum prædium in hortis, & vineto existens, se habet ad prædium rusticum tanquam accessorium, cum intra illud sit constitutum, & accessorium, etiamsi pretiosius, semper trahitur ad suum principale.

Tertiò, quia ædificia in prædiis rusticis sunt ad ornamentum, & decorandum prædia rustica, & sic debent cedere illis ad cujus ornamentum fiunt, & quotiescumque aliquis venit ad perfectionem alterius, non facit per se partem, sed idem corpus reputatur.

Quartò, quia in sententia arbitrari, loquendo de prædiis sitis in dictis hortis, & vineto, nulla fit differentia inter rustica, & urbana, pro ut fit loquendo de ipsis sitis in civitate.

Tamen prædicta tenentes, etiam tenent quod prædia habitandi causa facta urbana dicuntur, sive sint in urbe, sive in villa, & quæ sunt in villa non sunt in civitate.

Mos, & consuetudo docuit, & docet, quod extra civitatem omnia edificia habitandi causa facta ut urbana teneri, & ut talia reputari omnia prædia sita in Parochiis Beatæ Mariæ de Santis, Sancti Vincentii de Sarriá, Sancti Gervasii, & Sancti Martini de Provensals, & in casu alienationis onerosæ solvere laudemium pro ut de urbano prædio.

Deinde licet sententia arbitraris, loquendo de prædiis sitis in hortis, & vineto, non faciat divisionem inter rustica, & urbana, ratio est, quia jam facta est loquendo de prædiis sitis in civitate, quo confirmatur ex clausulis desumptis ab ipsa sententia; nam quando venditur, & alienatur aliquod prædium, in quo sunt constructæ domus, licet in instrumentis antiquis inveniatur clausula quinti, omittitur, & ponitur clausula septimi, & si antea erant constructæ domus, & dirutæ sint, licet in instrumentis antiquis inveniatur clausula septimi, omittitur, & ponitur clausula quinti.

Alodium es duplex in Civitate Barcinonæ, & ejus suburbii, hortisque, & vineto ejusdem, scilicet Ecclesiæ, seu ecclesiasticum unum, & laicum, seu laicale aliud.

Bona emphyteuticaria dicuntur de alodio Ecclesiæ, seu ecclesiastico, quorum verus dominus directus est Ecclesia, seu causa pia, quæ ante sententiam arbitralem, & istius promulgationem dominium acquisivit, seu alius dictam Ecclesiam repræsentans.

Bona emphyteuticaria prædicta dicuntur de alodio laico, quorum verus dominus est laicus, seu Ecclesia laicum repræsentans, quia successit in alodio post promulgationem sententiæ arbitraris.

In quocumque prædio non possunt adesse nisi bina dominia, scilicet directum, sive alodiale, & utile, sive naturale, quæ dominia sunt formaliter distincta.

Tamen in quocumque prædio sito in dicta civitate, & ejus suburbiis, hortisque, & vineto ejusdem, sive urbano, sive rustico, sive de alodio ecclesiastico, sive laico, possunt esse quatuor emphyteutæ successive, qui tres primi ex consuetudine domini medii vocantur, omnes tres habentes partem laudemii.

Omnes isti emphyteutæ pendent à domino directo, à quo causam habent, primus vocatur immediatus, secundus, & tertius mediati vocantur, & quod habeant vere, & realiter dominationem disputatur.

Nam diffinitio emphyteusis inter alia dicitur: *facta concessio, dominio, & proprietate retentis*, ex quo dominium directum, proprietas, & civilis possessio integritè penes concedentem remanet; & emphyteutæ solum conceditur utile dominium, & naturalis possessio, quod solum in eum transfertur.

Emphyteuta immediatus quando alienat rem emphyteuticam quam habet, imponendo aliquam pensionem, quia census impositio est alienatio, non potest alienare nisi quod habet, quod solum est utile dominium, quod integritè transit in acquirentem, sicque remanet sine ullo dominio.

Tamen inter dominium civile, sive directum, & naturale, sive utile, potest habere quoddam quasi dominium ab unoquoque illorum separatam; quod quidem quasi dominium nequit esse directum, quia integritè est penes dominum alodiale, & ab isto pendet, neque potest esse utile, quia integritè est apud rei possessorem domium utilem, sicque erit illa actio quam habet dictus emphyteuta immediatus percipiendi à secundo emphyteuta pensionem noviter impertam, quæ nihil habet de dominio directo, nec utili.

Tamen dictæ dominationes mediæ cognitæ fuerunt à

Doctoribus in jure scribentes, & confirmatæ per jus dictæ Civitatis Barcinonæ, veruntamen illos dominos non nominat, sed emphyteutas.

Isti emphyteutæ immediati proprie dicuntur libellarii, quia contractus libellarius dicitur, quando feudatarius, seu emphyteuta, rem, quæ pro alio tenet, subemphyteutificat.

De titulis lucrativis in Civitate Barcinone, & ejus suburbiis, hortisque, & vineto ejusdem, si fiunt inter cives nullum debetur laudemium.

De titulis lucrativis in dicta Civitate, sive fiant inter cives, sive inter forenses, neque debetur laudemium, quia forenses sunt comprehensi in privilegio circa prædia sita in dicta Civitate.

De prædiis autem sitis in hortos, & vinetum, titulo lucrativo acquisitis per civem à forense, nullum debetur laudemium, acquisitis vero per forensem à cive debetur medium laudemium, cujus solutio cedit acquirenti.

De alienatione onerosa prædii de alodio laicali, sive urbano, sive rustico, sive sit in Civitate, vel suburbiis, sive in hortis, & vineto, solvitur decima pars pro laudemio, per privilegia dictæ Civitati Barcinonæ concessa ante sententiam arbitralem.

Dicta privilegia, quibus statuta fuit decima pars pro laudemio, non fuerunt recepta per ecclesiasticas personas, per quas reclamatum fuit, ex qua reclamazione orta fuit sententia arbitralis, quæ nihil de alodiis laicis dicit.

Statutum fuit cum dicta sententia, quod de alienatione onerosa alicujus prædii urbani alodio Ecclesiæ solveretur septimum pro laudemio, & de prædio rustico quintum.

Attamen Ecclesia succedens laico post dictam sententiam,

tentiam arbitralem recipit pro laudemio decimam partem, sive prædium sit rusticum, sive urbanum, pro ut laicus recipiebat.

Si vero laicus successit Ecclesiæ post dictam sententiam, de alienatione onerosa prædii urbani recipit septimum, de prædio vero rustico quintum, pro ut Ecclesia recipiebat.

Laudemium in Civitate Barcinonæ, & ejus suburbiis, hortisque, & vineto ejusdem, solvitur à venditore, seu alienatore, extra vero dicta loca solvitur ab emptore, seu acquiretore.

Si in dominio directo alius est dominus proprietarius, & alius usufructuarius, huic est laudemium solvendum, quia est fructus, seu utilitas ex re, vel propter rem proveniens, tamen proprietarius tenetur instrumenta domini ratione firmare.

Si plures sunt domini, unus directus, & cæteri medii in alodio laicali, inter omnes non possunt habere pro laudemio nisi duos solidos pro libra de toto pretio, & intrata ex stabilimento, nam per dominorum pluralitatem non solvitur nec plus, nec minus.

Si est tantum dominus directus, recipit solus dictos duos solidos, si præter directum extat unus medius, directus recipit tantum sex denarios pro libra, reliquum unum solidum, & sex denarios medius, si sunt directus, & duo medii, ille, & immediatus, unusquisque recipit sex denarios pro libra, reliquum solidum secundus medius, si vero sunt tres medii, unusquisque eorum recipit sex denarios pro libra.

Neque in prædio de alodio Ecclesiæ, si præter directum sunt domini medii, unus, vel plures successive, non possunt habere pro laudemio nisi septimum in urbano, quintum in rustico prædio, & quartum ex

intrata stabilimentorum, sive prædium sit rusticum, sive urbanum.

Si dominus directus est solus, recipit integrum septimum, aut quintum, aut quartum, si vero præter directum adsunt domini medii unus, vel plures, directus tantum recipit tertium septimi, & quinti, & quartum quarti, medii vero unum solidum, & sex denarios, quos inter eos dividitur pro ut de alodio laico dictum est; reliquum vero usque ad septimum, vel quintum, aut quartum remanet penes vendentem, seu stabilientem per legem sententiæ arbitraris.

Si in prædio dominus directus alius est ecclesiasticus, & alius laicus, communiter, & pro indiviso solvitur laudemium, scilicet Ecclesiæ septimum, vel quintum, aut quartum medietatis pretii, laico vero, qualecumque sit prædium, decimum reliquæ medietatis.

Dominus non potest cogere partes ut procedant ad traditionem rei venditæ, seu alienatæ, & dummodo res est integra, partes possunt discedere à contractu.

Duplici modo consideratur integritas contractus, sive rei, uno quo ad partes contrahentes, ut est quando res non est tradita, nec pretium est solutum, quo casu non est debitum laudemium, quia à traditione, & non antea incipitur deberi; nam venditor, seu alienator ante rei traditionem est dominus pleno jure, quia dominium solo consensu non amittitur, nisi traditione, quia re non tradita non dicitur alienasse, quo casu una altera invita partium potest à contractu discedere.

Alio vero modo est, quoad interesse domini directi, quia quamvis pretium sit solutum, seu aliqua ejus pars, aut fuerint datæ arrhæ pro parte pretii, vel fidejussores, cum pretium debeat præire traditioni, ta-
men

men res tradita non est, nec instrumentum domino præsentatum, quo ad ejus interesse res est integra, quia tunc non mutatus est emphyteuta, & ideo non debetur laudemium.

Tamen si instrumentum præsentatum fuerit domino, quo ad istius interesse res jam non est integra, & tunc debetur laudemium.

Licet pretio soluto, re tamen non tradita, una altera invita parte, non possit discedere à contractu, possunt de communi consensu, quia jura, & actiones, ac obligationes ortæ, & acquisitæ ex solo contractu sunt revocabiles usque ad rei traditionem, vel ad præsentationem instrumenti domino directo.

Sicque partes celebrato contractu, re tamen non tradita, possunt ab illo discedere, sine metu solvendi laudemium, etiam invito domino, quamquam per intervallum temporis recedant, quia dominium solo consensu, re non tradita, non amittitur, & sic ex solo titulo, sine rei traditione non est debitum laudemium.

Rursus laudemii solutio respicit traditionem, & mutationem emphyteutæ, & in initio contractus non fit dicta mutatio, nec rei traditio, sed dispositio mutationis, & traditionis.

Si vero res est tradita, licet pretium non sit solutum, tunc partes non possunt à contractu recedere sine domini consensu, quia res jam non est integra quo ad dominum, etsi discedunt, debentur bina laudemia, unum ratione rei traditionis, & aliud ratione recisionis.

Ratio enim diversitatis est, quia qualitas illa propter quam solvitur laudemium est affixa, radicata, & substantiata in ipsa re, à qua separari non potest; pretium vero est incapax, & inhabile recipiendi talem

qualitatem, cum sit res mobilis, in qua qualitas feudalis, seu emphyteuticaria, radicari non potest.

Si tempore alienationis rei emphyteuticariæ de alodio ecclesiastico alicujus beneficii Petrus est ejus obtentor, & tempore traditionis est Paulus, isti, & non illi debetur laudemium, nam non acquiritur actio nisi ex rei traditione, quo tempore incipitur deberi laudemium.

Si in acquisitione lucrativa rei feudalis, seu emphyteuticariæ extra Civitatem Barcinonæ, & ejus suburbia, hortosque, & vinetum ejusdem, & in acquisitione onerosa tam in dicta loca, quam extra, alius est usufructuarius, & alius proprietarius, iste, & non ille tenetur solvere laudemium.

Ex quacumque venditione rei feudalis, seu emphyteuticariæ debetur laudemium, & intrantes possessionem sine domini consensu antea incidebant in commissum, quod tam de jure civili, quam canonico est amissio rei acquisitæ, & alienatæ.

Dictum commissum hodie est sublatum, & emphyteuta non cadit à jure suo, sed incurrit in pœnam quingentorum aureorum, tamen in versione legitur *florins*.

Et ultra alias pœnas inducta fuit pœna duplicati laudemii, quod servatur in toto Principatu.

Et nedum requiritur consensus domini directi, sed etiam aliorum dominorum, si plures sunt, licet sint in nuda perceptione, quia omnes habent interesse, vel quo ad pensionem, vel quo ad firmam, & faticam, vel habent partem laudemii.

In omnibus contractibus alienationum rerum feudaliū, seu emphyteuticarum contrahentes jurare debent se fraudem non fecisse dominis, pro quibus res alienatæ tenentur, & si contrafactum fuerit incidunt in pœnam duplicati laudemii.

In contractibus vero lucrativis dominus solum potest procedi per querelam pacis, & treguæ violatarum, si ex tali titulo debetur laudemium, nam si non debetur, non potest procedi, cum consensus domini non requiratur.

Et licet consensus prædictus non præeat, sufficit quod sit obtentus, vel expresse, vel tacite, vel quod de domini voluntate constiterit, ut emphyteuta intret in possessionem, & tunc duplicatum laudemium non est debitum.

Dominus feudi in titulis lucrativis habet emparam realem ad habendum laudemia sibi debita, cujus effectus est, propria auctoritate, & invito vasallo, seu feudatario, adipiscere corporalem possessionem, & feudum occupare, & non tenetur restituere donec laudemium, & omnes expensæ sibi sint solutæ, & restitutæ.

Dominus vero directus rei emphyteuticariæ non habet emparam realem, quia in re emphyteutica fieri non potest, nam feudatarius plus est strictus, & obligatus suo domino, quam emphyteuta, ille enim tenetur præstare fidem sacramento, & homagio vallatam, iste vero non.

Attamen dominus directus rei emphyteuticæ habet remedium assignandi judicem emphyteutæ, coram quo petere poterit, nedum laudemia sibi debita, sed etiam condemnare illa solvere, & condemnatione sequuta, & non suspensa, executionem facere.

Tamen si emphyteuta, vel vassallus ingredierit possessionem rei feudalis, seu emphyteuticariæ bona fide, quia in alienatione ei non fuit notificatum per quem dominium teneatur, licet dicatur salvo jure dominorum, qui monstrabuntur, tunc non habet locum poena duplicati laudemii; si autem ei notificatum fuerit, tan-

quam in dolo, & mala fide constitutus, incidit in dictam pœnam.

Sed emptor, si adeptus fuerit possessionem corporalem rei emphyteuticæ, potest purgare moram solvendo unum tantum laudemium, si incontinenti currit ad dominum offerendo ei laudemium, & ipso renuente acceptare, deponat, & consignet, & eidem notificari faciat, quod per procuratorem fieri potest; tamen si per dominum jam fuerit mota lis contra emptorem, non est locus moræ purgationi.

Laudemium duplicatum petendum est acquirenti, quia est onus reale, & ideo sequitur possessorem fundi, nam acquirenti cedit onus solvendi laudemium in feudis per constitutionem, in emphyteusi vero per jus commune.

Licet in Civitate Barcinonæ, & ejus suburbiis, hortisque, & vineto ejusdem onus solvendi laudemium cedat alienanti, cum sæpe sæpius inter alienantem, & acquirentem conveniatur, quod iste solvat laudemium, in casu pœnæ duplicati laudemii ipsi acquirenti cedit onus solvendi duplicatum.

Si in dominio rei feudalis, seu emphyteuticariæ, alius est dominus proprietarius, & alius usufructuarius formalis, laudemium, quod debetur ratione alienationis rei, est usufructuario, quia est fructus, & omnes fructus ad usumfructuariûm pertinent.

Duplicatum vero laudemium est domini proprietarii, quia subrogatum est loco commissi, per quod res vendita, & tradita sine domini consensu proprietario erat applicanda.

Si autem in re feudali, seu emphyteuticaria est dominus medius, huic laudemium duplicatum integritè applicatur, licet sit in nuda perceptione, & non di-

recto, quia loco commissi subrogatum est, quo casu res reddi non poterat ad dominum directum, ne sequeretur illa impossibilitas, quod dominus alodialis esset dominus, & vassallus, vel emphyteuta respectu ejusdem. **Laudemium** debetur de venditione rei emphyteuticæ, attamen de valore, seu æstimatione census, qui pro ea præstatur, sive sit cum dominatione, sive in nuda perceptione, non debetur laudemium, quia canon est onus ordinarium intrinsecum, & rei inseparabile annexum, & affixum.

Si tamen census est in nuda perceptione, & dominus directus in ejus laudatione protestatus fuit, illum esse onus extrinsecum, & extraordinarium, tunc debetur laudemium, quia id dominus facere potest; si vero dominus laudando impositionem non protestatus fuit, censetur illum approbare ut onus intrinsecum, & ordinarium, & tunc non debetur laudemium.

Si in venditione ultra pretium incarricatum est emptori aliquod censuale, de istius capitali etiam debetur laudemium, quia æquipollet pretio, seu parti ejusdem, nam cum redemibile sit, recipit functionem cum pecunia numerata.

De venditione facta cum reservatione domini, quousque pretium sit solutum, & satisfactum, debetur laudemium statim quod venditio est per partes firmata.

Sed quæritur an de venditione facta cum pacto, quod venditor ex pretio teneatur creare censuale favore venditoris cum speciali obligatione rei venditæ, & quod censuali durante dominium, & possessio ejusdem rei non transeant in emptorem, sed penes venditorem maneat quousque censuale fuerit integritè luitum, debeat laudemium incontinenti firmata, vel post luitionem censualis? affirmativa videtur est tenenda.

Nam videtur incontinenti facta venditione dominium, & possessio rei transferri in emptorem, aliàs non posset ipsa res specialiter obligari in censuali, ubi emptor rei promittit ex causa specialis obligationis tradere possessionem realèm, corporalem, seu quasi, dat facultatem emptori censuali ut propria auctoritate nanciscere, adducitur etiam clausula constituti, & precarii.

Deinde emptor rei percipit omnem utilitatem ejusdem rei, potest de illa disponere, vendere, alienare, & ad omnimodas suas voluntates facere, sicque pactum illud quod censuali durante dominium, & possessio rei in emptorem non transeant, quo ad hoc nullum operatur effectum, sed tantum pro temporis prioritate, & juris potioritate rei vendentis.

Ex venditione annui census constituti super re emphyteutica debetur laudemium, si census est cum dominatione; si vero in nuda perceptione videtur esse distinguendum: aut dominus directus laudando impositionem protestatus fuit illum laudare ut onus extrinsecum, & extraordinarium, aut non protestatus. Primo casu non est debitum laudemium, quia tunc rei non est annexum, & affixum, nec à re inseparabile, & dominus noluit illum sub suo dominio, & alodio, & sic consideratur ac si in re non esset; secundo vero casu laudemium debetur, quia dominus non protestando, visus est illum considerare ut onus intrinsecum ossibus rei infixum, & illum retinere sub ejus dominio.

Si census cum dominatione venditur, licet dominatio non vendatur, debetur laudemium dominis, unus, vel plures sint supra vendentem, sicut de prædiis, quia postquam dominationes mediæ sementinam trahunt originem ab eisdem prædiis, eorum qualitates, & conditiones esse debent sicut sunt prædia, à quibus descendunt.

Si

Si dominus medius vendit suum censum, & dominationem domino superiori sibi immediato, qui cum vendente est *cors à cors*, emens non potest habere aliquam partem laudemii.

Casu quo dominus medius vendat suum censum, & dominationem domino sibi inferiori, & dominus directo immediatus utatur fatica penes se retinendo, & recipiat censum, quem vendens recipiebat, talis census evanuit in confusione.

Et dicto casu emens, neque utens fatica non possunt habere duas dominationes medias, quia sicut perceptio census vendentis evanuit in confusione ementis, & iste non potest eos percipere disjunctive, ita dominatio media empta evanuit in confusione dominationis ementis, aliter esset sui dominus, & emphyteuta, & sic in casu venditionis prædii non potest habere nisi illud laudemium, quod ei competebat ante venditionem sibi factam.

Attamen si dominus emens, seu utens fatigam fuerit corpus ecclesiasticum, quod ut administrator reputatur diversarum piarum foundationum, tunc si censum recipit cum dominatione nomine unius foundationis, potest nomine alterius alium censum, & dominationem habere, & in casu alienationis prædii bina laudemia percipere, quia est dominus respectu diversorum; & census, & dominatio vendentis non evanuit in confusione census, & dominationis ementis.

Si dominus immediatus directo vendiderit suum censum, & dominationem naturali possessori prædii, extantibus dominis mediatis, isti non habent neque laudemium, neque fatigam, quia nullum jus habent in re vendita, sed tantum dominus directus; attamen si fit venditio, & absolutio census, & dominationis, do-

minus directus tantum habet laudemium, non vero faticam.

Si sub eodem pretio venditæ sunt domus, & mobilia parietibus affixa, vel non, sed sunt talia, ut ibi perpetuo maneant, & ad usum perpetuum destinata, de eorum pretio, seu valore, quia comprehensa in domorum pretio, debetur laudemium; si vero non sunt parietibus affixa, nec perpetuo usu domus destinata, eorum valor debet deduci de pretio, ex qua deductione non debetur laudemium.

Si venditur prædium cum fructibus pendentibus unico pretio, de toto eo debetur laudemium, quia fundo vendito, fructus solo cohærentes veniunt in venditione, & sunt una res cum fundo, & pars ipsius.

Veruntamen si fructus sunt secti, eorum valor debet deduci de pretio, ex quo non debetur laudemium, quia quæ manu sunt sata, in fundi venditione excipiuntur.

Quis habuit concessionem emphyteuticam de area, seu solo terræ parvi valoris, in quo ædificavit magni valoris ædificium, in casu venditionis laudemium debetur, nedum de solo terræ, sed etiam de valore ædificii, quia est inseparabile à fundo, sine quo subsistere non potest.

Emens rem emphyteuticam à domino utili, & postea usumfructum à usufructuario, ex utroque pretio debetur laudemium; quia emptor plenum dominium acquirit pecunia mediante, quæ justum rei pretium non excedit.

Sed non desunt tenentes, quod est intelligendum de usufructu causali, qui est conjunctus cum proprietate, seu prædio, & istius est pars integralis; non vero de usufructu formali, qui est abstractus à prædio, & ab eo separatus.

Ususfructus est jus utendi, & fruendi rebus alienis, substantia salva, & integra remanente proprietario.

Duplex est ususfructus, alius est causalis, qui conjunctus est cum proprietate, & est istius pars integralis: alius vero formalis, qui abstractus, & separatus est à proprietate, & ex sua causa habet formam separatam, & distinctam à dominio.

In quolibet prædio emphyteutico tantum bina dominia esse possunt, & inveniuntur, unum scilicet alodialle, & directum, & aliud utile, & naturale, quæ sunt formaliter distincta, & separata.

Primum dictorum dominiorum continet in se proprietatem, & possessionem civilem, secundum vero solum continet utilitatem, & naturalem possessionem, quia emphyteuta solum habet utile dominium.

Fructus alii sunt naturales, qui immediate producuntur à re, seu materia corporali, sive mobili, sive immobili, ut sunt pecudum partus, arborum fructus, & quicumque alii, qui magnam impensam, seu hominis industriam non requirunt.

Alii sunt industriales, qui magnam hominis impensam requirunt, magnamque industriam petunt, ut sunt fruges, sata, olera, & his similes, quæ nomina magistralia sunt, non à lege, sed à DD. imposita.

Alii denique sunt civiles, sive ficti, isti duplici considerantur modo, quidem percipiuntur immediate à jure, sive ex legis provisione, ut sunt laudemia, præsentatio ad vacans Beneficium, fatica, & similes; quidem autem qui percipiuntur ab hominis provisione, seu obligatione, ut census, censualia mortua, pensiones, & similes, qui in testamento, seu inter vivos contractu relinquuntur.

Isti fructus civiles, seu ficti, proprie non dicuntur fruct-

fructus, sed potius obventiones, sive emolumenta, quia non ex ipso corpore, sed ex alia causa extrinseca, seu adventitia proveniunt, tamen generaliter veniunt appellatione fructuum simpliciter, & naturalibus æquiparantur.

Differunt industriales, & naturales fructus à civilibus in modo producendi, quia illi producuntur per separationem à re corporali, nam antequam nascantur, seu separentur à solo, non sunt fructus, sed pars rei vere, & proprie; civiles vero producuntur statim, & incontinenti, ac in puncto in quo incipiunt deberi.

Licet quis teneat de venditione perpetua solius ususfructus deberi laudemium, ea ratione, quia aliàs proprietas inutilis remaneret, quod esse non debet, est intelligendum de venditione facta à usufructuario casuali, non vero formali.

Nam ut debeatur laudemium requiritur ut realis, & actualis rei traditio sequatur, & in translatione domini requiritur titulus, & possessionis apprehensio, & licet proprius ususfructus consistat in rebus immobilibus, quæ usu non consumuntur, sed perpetuo existunt, eorum dominium non transit in usumfructuarium formalem.

Et si aliquid habet, solum potest dici quasi jus, seu quasi dominium ab utili separatum, quod nullo modo radicatur in prædio, sed in fructibus, qui eos suos facere non potest, nec ad hæredes transmittere, nisi sint à solo separati, vel per se, vel per alium, quia dum sunt in prædio, sive industriales, sive naturales sint, non sunt fructus, sed pars ipsius rei, seu prædii, nam per separationem à re corporali producuntur, & à re separati dominus ædialis nullum habet jus in eis.

Deinde quia venditio perficitur, inter alia, rei traditione, & cum usufructuarius formalis nullum jus habeat in re, seu prædio, ideo non potest eum tradere.

Etsi dicatur quod saltem cedit jus percipiendi fructus à re, seu prædio, quæ actio est propria ipsius possessoris, est dicendum quod actio usufructuarii formalis non est in prædio, sed in fructibus, & cum ista tales non sint, nisi à prædio, seu corpore producente illos separati sint; sic jus illos percipiendi, quod est jus illos proprios faciendi, non est in prædio, sed extra prædium, idest in fructibus à solo separatis.

Causalis vero usufructus è contra se habet, nam cum fructus ipsius sint pars integralis prædii, habet in eo jus, est rei possessor, & sic dominus utilis ejusdem, quo modo habet ipsorum fructuum possessionem antequàm nascantur, & à solo separentur, & eos ad hæredes transmittere potest.

Laudemii solutio respicit mutationem emphyteutæ per venditionem fructuum à formali usufructuario, non fit mutatio emphyteutæ, quia morte ipsius usufructuarii extinguitur usufructus, ita quod de prædio non potest disponere, quia ejus morte extinguitur omne jus quod in fructibus habebat; secus vero usufructuarius causalis, qui de prædio disponere potest, & sic alium emphyteutam facere.

Si res quæ venditur alicui prædio serviebat, & à servitute liberatur pecunia, seu pretio mediante, ex eo debetur laudemium.

Mulier, quæ pro sua dote, sponsalitia, cæterisque juribus suis habet tenutam bonorum defuncti viri sui, si suam vendiderit tenutam extraneo, tradendo possessionem realem rerum hæreditariarum, ex tali alienatione debetur laudemium; si vero non tradiderit dic-

tam possessionem non debetur, quia tunc censetur tantum vendere suum creditum.

De venditione ad vitam alicujus hominis, si censetur facta ad modicum tempus non debetur laudemium, quia modicum in jure non consideratur, si vero ad non modicum tempus debetur.

De venditione facta extraneo, seu collateralis ab hærede à testatore gravato de restituenda hæreditate quodcumque decesserit sine liberis, & emptor per decennium, aut plus possideat, aliqui tenent laudemium non deberi, quia talis venditio est nulla extante conditione, nedum ex tunc, verum etiam ab initio irritatur, & anihilatur, & ut non facta, ac quasi non scripta, nec celebrata habetur.

Alii autem aiunt laudemium deberi, quia pendente fideicommisso, seu conditione hæres gravatus primo loco institutus verè, & propriè fuit dominus, & hæres, & potuit alienare, & si postea fortiter irritatur, non rescinditur pro tempore retro lapso, quia pro eo suum fuit sortita effectum, & fructus percepti non restituuntur, quia hæredi substituto non tangunt, nec tangere possunt.

Non debetur laudemium de venditione rei à testatore, vel à lege alienari prohibita, quia similes alienationes sunt prohibitive contractus alienationis, & contractus celebratus contra prohibitionem alienationis, dominii translationis impediens, est nullus, & ex contractu nullo laudemium non debetur.

De alienatione, seu venditione rei feudalis, seu emphyteuticaria facta Ecclesie, seu alteri inhabili personæ, debetur laudemium, etiamsi fiat pro Ecclesia amplianda, quamvis teneatur tanquam manus mortua intra annum alteri tradere, seu amortizare.

Si vero dominus directus compellit manum mortuam ad ipsam rem deserendam, & in manum habilem transferendam, ad quod tenetur, & dominus facere potest, tali casu non debetur laudemium, quia tunc recusando manum mortuam recipere in vassallum, seu emphyteutam, se ipsum excludit à laudemii perceptione.

Bene tamen debetur laudemium ex ipsa alienatione rei facta per manum mortuam in habilem jussu domini directi ipsius rei.

Laudemium non debetur de venditione facta ipsimet domino directo, etiamsi fiat pro censu extinguendo, & solvendo juribus ipsi domino expectantibus, quia tunc dominus non recepit novum debitorem, nec novum emphyteutam recepit.

Tamen si adsunt domini medii, quia tunc venditio non potest fieri prioribus, sed ultimo, bene debetur laudemium.

De venditione necessaria nullum debetur laudemium.

Dominus directus, & alodialis alicujus termini, seu quadræ, qui locavit redditus cum laudemiorum, & censuum præstatione, si emit ab emphyteuta aliquod fundum situm in termino, seu quadra, tenetur arrendatario laudemium solvere, & census præstare durante arrendamento, quia census illi ea emptione venerunt per consolidationem cum proprietate.

De venditione casuali, si possessio tradita fuit, debetur laudemium, si vero non fuit tradita non debetur.

Venditio facta per non dominum utilem nulla est, & ex ea nullum debetur laudemium, quia venditor, qui numquam fuit emphyteuta, nullum jus transtulit, nec transferre potuit in emptorem.

De venditione censualis mortui, in quo aliqua res emphyteuticaria est specialiter obligata, etiamsi sit

cum consensu domini, nullum debetur laudemium, qui est accessorium, & adventitium, & non trahit ad rem.

Si dominus directus alicui vendiderit suum dominium, & tempore venditionis debeantur plura laudemia non præscripta, quidam tenent esse domini ementis, quidam domini vendentis.

Sed hoc videtur pendere ab ipso venditionis instrumento, nam si in eo sunt reservata domino vendenti, erunt istius; si vero cessa ementi, erunt ementis.

De venditione conditionali antequam existat conditio nullum debetur laudemium, quia ante existentiam conditionis nullus est consensus, & per eam contractus perficitur, & interim nulla oritur obligatio.

Si fit venditio cum pacto additionis in diem, & alius comparuerit emptor, conditionem venditori meliorando, huic res addiscitur, & prima venditio ipso jure resolvitur.

Et quamvis venditio, quæ fit ex nova meliorationis conditione, sit tertia, quarta, vel ultra in ordine, quia plures possunt esse melioratores; tamen in stabilitate, & effectu est sola, & prima, ex ea tantum debetur laudemium, & non de prioribus, tamquam ipso jure nullæ.

Licet venditio cum pacto legis commissoriæ pure contrahatur, tamen est sub conditione resolubilis, & quamquam statim celebrata debeantur jura dominicalia, sed non laudemium antequam dicti pacti conditio eveniat, & impleatur, cum nisi conditio existat laudemium solvi non debeat.

Si pretium sit solutum intra terminum præfixum, vel postea recipiatur à venditore, aut aliter fiat, tunc non est locus pacto legis commissoriæ, & venditio remanet incommutabilis, & laudemium debetur.

Quan-

Quando vi pacti legis commissoriæ, vel additionis in diem, venditio dissolvitur, seu rescinditur, ex tali rescissione non debetur laudemium, quia hoc casu res non committitur, & contractus alienationis fingitur non esse celebratus.

Nam conditione eveniente dominium rei alienatæ cum dictis pactis, sine aliqua retraditione, ipso jure retransit, sive revertit in venditorem.

Si fit venditio, & res tradita sit cum pacto, quod res revertatur ad venditorem, si infra certum tempus emptor non solverit residuum pretii, licet ibi non fiat resolutio pacti legis commissoriæ, tamen resolvitur ipso jure ex lege, quia dictum pactum legem dat contractui, & ex tali venditione non est debitum laudemium, nam jura dominicalia resolvuntur ope exceptionis, vel actionis.

Propria natura contractus emptionis, & venditionis est, quod perpetuo duret, ac etiam naturale, & proprium, quod rerum dominia sint perpetua, tamen venditio plura recipit pacta, & aliquando fit cum pacto de retro, quæ si non fit in fraudem usurarum, licita est, & permissa.

Si simulate concipiatur, non valet, & si valet convertitur in contractum pignoris, vel in contractum perpetuæ locationis, & tunc solvitur laudemium de locatione.

Licet usuræ videantur à jure civili permissæ, tamen fieri prohibitæ sunt à jure nostro municipali, & præsertim in contractu venditionis, & debent partes jurare fraudem in dicto contractu non fecisse.

Et si fit pactum de retro in fraudem, quia contractus est nullus, nullum debetur laudemium, quia ex contractu nullo non est debitum.

Pactum de retro adducitur in fraudem usurarum.

Primò: Quando pretium est modicum respectu valoris rei, & ista modicitas dicitur si adsit pretii injustitia ultra dimidium.

Secundò: Quando venditor in recuperatione per eum fienda aliquid debet solvere ultra quod recepit pro pretio. *Tertiò*: Quando emptor consuevit usuras exercere, inducit præsumptionem fraudis, & simulationis in contractu.

Si pactum de retro adjectum sit, quod recuperatio non fiat, nec fieri possit citra, vel infra tres, quatuor, aut plus, vel multos annos, seu tempus, etsi sit usurarium, tamen permissum est.

Licet dicatur quod de venditione cum pacto de retro ad modicum tempus non debeatur laudemium, nec acquiratur jus in re, & res alienata non videatur, quia modicum in jure non consideratur, tamen venditio est perfecta, si res est tradita, & ex omni traditione debitum est laudemium.

De venditione cum pacto de retro debetur laudemium integrum, quia jam est à principio ex omni parte perfecta, possessio, & dominium translatum, pretiumque solutum, licet conditione resolubili, & emptor facit fructus suos, & potest rem alteri vendere, & transferre.

Nam jus semel ex ea venditione quæsitum non amittitur resolutione postea contractus, sed vi pacti de retro adjecti, sive fiat verbis directis, sive obliquis, sive pactum sit indefinitum, & in perpetuum, sive ad longum tempus, sive temporale, etiam ad modicum tempus; quia quocumque fiat modo cum dicto pacto est pura, perfecta, res tradita, & dominium translatum.

De re venditione autem nihil laudemii solvi debet,
quia

quia revenditio non est nova venditio, nec nova acquisitio, sed primæ venditionis resolutio in vim executionis pacti de illa dissolvenda in eadem primæ venditione positi, & dicitur resolutio, seu redemptio venditionis ex causa præcedentis contractus.

Et etiam quia resolutio contractus non tribuit titulum, & non potest dici novus titulus, nec non etiam quia dominus recipiens laudemium ex primo contractu, & adhibens consensum suum, approbat venditionem cum omnibus pactis, & qualitatibus suis, & sic ipsum pactum de retro, & tunc cum jam sit actum de resolvendo venditionem, resolutio quæ postea fit, non est proprie resolutio, sed executio primi contractus, cum res pleno jure translata non sit.

In Civitate autem Barcinonæ, hortisque, & vineto ejusdem, de venditione cum pacto de retro solvitur medium laudemium, & de revenditione aliud medium laudemium, & hæc est consuetudo Barcinonæ, quæ licet non comprobetur aliquo statuto, seu regula, ex consuetudine hoc utitur jure, quæ consuetudo visa est observari in toto Principatu.

At vero si venditio cum pacto de retro est facta tanti pretii, quod verosimiliter non sit spes luitionis, tunc debetur laudemium integrum, ac si venditio esset perfecta, & irrevocabilis.

Si pactum de retro esset appositum ex intervallo post celebrationem contractus, & rei traditionem, quia tunc revenditio fit ex nova causa, seu conventionione, debetur integrum laudemium ex revenditione; quia dictum pactum est novus contractus, & agitur de nova alienatione.

Sed tamen si pactum de retro esset de redimendo infra certum tempus, & antequam esset lapsum ad aliud prorogatur tempus, tunc ex revenditione primo

tempore lapso facta debetur laudemium, quia non vi primæ venditionis, sed vi secundi pacti fit, & est novus contractus.

Si vero pactum de retro adjectum sit, quod res pro majori, vel minori pretio redimeretur, vel juxta qualitatem, & æstimationem rei tempore redemptionis, debetur laudemium integrum, quia novus contractus, novaque venditio censetur.

Possidens rem instrumento gratiæ, si ipsam vendit perpetuo cum pacto, quod secundus emptor teneatur sequi dictum pactum de retro, iste secundus emptor non tenetur solvere nisi medium laudemium in Civitate Barcinonæ, ejusque suburbiis, hortisque, & vineto ejusdem; quia illius pactum de retro positum in prima venditione censetur in omnibus esse repetitum, & renovatum ex juris necessitate, quia res illa redemptione subjecta transit cum suo onere, & omnibus qualitibus, & conditionibus.

Extra vero dictam civitatem, & loca prædicta debetur integrum laudemium.

Attamen si pactum in venditione adjectum fuerit, quod emptor in casu venditionis rei teneatur suum venditorem cæteris præferri emptoribus, & vi dicti pacti vendit suo venditori pro eodem pretio, quo sibi vendita fuit, debetur integrum laudemium; quia non fit vi pacti de retro, sicque nova venditio, novusque contractus est.

De venditione juris recuperandi rem instrumento gratiæ venditam debetur integrum laudemium, quia dictum jus est pars rei venditæ, ab ipsa descendit, & originem trahit, & ejus est qualitatis, & conditionis, cujus est res redimibilis.

Si tamen dicta venditio juris recuperandi, & absolutio

tio fit rem instrumento gratiæ possidenti, nedum debetur laudemium integrum dictæ venditionis, & absolutionis, verum etiam aliud medium laudemium ratione venditionis cum pacto de retro, quia istius tempore tantum solutum fuit medium laudemium, & mediante dicta venditione, & absolutione juris recuperandi rei, possessor ipsius rei, pleno jure, & irrevocabiliter efficitur possessor, aliàs dominus directus fraudaretur.

De resilitione venditionis, si res non est tradita, licet pretium sit solutum, non debetur laudemium; quia res integra est quo ad domini interesse, licet aliqui contrarium teneant.

De possessione, quam capit vidua de bonis defuncti viri sui pro conservanda tenuta, & aliis juribus suis, non debetur laudemium, etiamsi sit relicta usufructuaria.

Per ingressum emphyteutæ in Religionem non debetur domino directo laudemium, sed debetur illius mors spectari.

Nec Monasterium potest cogi ad vendendum, cum in hoc casu bona ipso jure transeant in Monasterium, Ecclesia enim in hoc casu potest frui emphyteusi donec Monachus emphyteuta naturaliter vivit, & consensus domini non requiritur, quando agitur de alienatione à lege.

De recognitione infra annum à die venditionis facta per emphyteutam alicui, de cujus pecuniis solvit pretium, non debetur laudemium; si vero fit anno elapso debetur.

Si tamen in recognitione, pretio convento, aliquid addatur, seu detrahatur, aut apponatur pactum aliquod ex eis, quod verum rei valorem augment, vel minuunt, cum eo casu plures dicantur venditiones, una-

quæque suum diversum pretium habens, licet sit intra annum, debetur laudemium.

Supra dictum est, quod in Civitate Barcinonæ, & ejus suburbiis, hortisque, & vineto ejusdem, si fit venditio inter cives solvitur quintum de prædio rustico, septimum de urbano, & quartum de intrata, quodcumque sit prædium, similiter solvitur de prædiis in civitate inter cives, & forenses.

Si vero fit venditio de aliquo prædio sito in civitate, vel ejus suburbiis, vel in hortis, & vineto, de alodio laico, sive sit rusticum, sive urbanum, tantum præstat decimum, sive fiat per forensem forensi, vel per civem forensi, aut per forensem civi, aut inter cives.

Si vero prædium est de alodio ecclesiastico, situm in hortis, & vineto, & fit per forensem forensi, solvitur pro laudemio tertium simplex, sive directum.

Si vero dicta venditio, seu alienatio fiat per forensem civi, ille teneturolvere tertium simplex, sive directum, pro ut est consuetudo, & erat ante sententiam arbitralem, nam forenses prædia tenentes, & vendentes in dictis hortis, & vineto non reputantur ut cives, nec gaudent privilegio dictæ sententiæ.

Ex permutatione rei feudalis, seu emphyteuticariæ debetur laudemium, quia est vicina emptioni, & est species alienationis, & solvitur quarta pars, quæ vocatur quartum *avant*, circa quam solutionem non servatur consuetudo antiqua.

Si in permutatione ab altera partium interveniat pecunia pro æqualamento rei permutatæ, tunc quantitas illa non producit laudemium, quia accidens aliter intervenit.

In Civitate vero Barcinonæ, & ejus suburbiis, hortisque, & vineto ejusdem, ex permutatione inter cives,

& in ipsa civitate, & suburbiis inter cives, & forenses solvitur secundum clausulam, vel septimi, vel quinti, de prædiis alodio ecclesiastico, & decimum de prædio alodio laicali.

Si vero prædium est in hortis, & vineto de alodio Ecclesiæ, & fit permutatio inter forenses, seu inter civem, & forensem, iste solvit laudemium tertium simplex, sive directum, civis vero secundum dictas clausulas quinti, vel septimi; si vero prædium est de alodio laico solvitur tantum decimum etiam per forensem.

Laudemium debetur ex insoluto datione; nam in ea res traditur, ex cujus traditione transfertur dominium in Civitate Barcinonæ, & ejus suburbiis, hortisque, & vineto, pro ut de venditione inter cives, & forenses dictum est; extra vero dicta loca tertium directum de quantitate pro qua res datur.

In dicta civitate, & suburbiis, hortisque, & vineto de titulis lucrativis inter cives, & in eadem civitate, & suburbiis inter cives, & forenses non debetur laudemium, pro ut jam dictum est.

Si prædia sunt sita in dictis hortis, & vineto, & titulus lucrativus fit per forensem civi, cujuscumque sit alodium, neque debetur laudemium; si vero fit per civem forensi, & prædium est de alodio Ecclesiæ solvitur per forensem medium tertium, & medium laudemium; si vero est de alodio laicali medium laudemium, idest unum solidum pro libra de valore prædii.

De donatione universali rerum feudalium, seu emphyteuticarum donatarius debet solvere laudemium de earum rerum valore, & etiam de legatis secundum rei valorem tempore alienationis existentem, & non secundum valorem postea auctum, vel diminutum.

Si titulus lucrativus fit de re feudali ascendentibus

(exceptis patre, & matre), vel fratribus, aut agnatis, seu cognatis, vel cuicumque personæ extraneæ, solvitur decima pars rei valoris pro laudemio.

Si vero datur descendentibus per rectam lineam, vel patri, aut matri, nullum debetur laudemium, etiamsi donator aliquam quantitatem sibi reservaverit, seu aliquam rem à donatario dandam, vel faciendam.

Si vero res donata est emphyteuticaria, donatarius debet solvere medium tertium, & medium laudemium, nisi fiat descendentibus, vel patri, aut matri, etiamsi sit facta retento usufructu, considerato quantum viviturus sit donans, in qua ætate sit tempore donationis, & quotannis postea vivere possit usque ad sex decem annos, & non amplius, ultra quos non fit computatio.

De donatione post obitum donatoris non debetur laudemium incontinenti firmata, & debetur spectare mortem donatoris, etiamsi donatio sit facta Ecclesiæ; quia vivente donatore non potest realis rei possessio tradi juxta naturam contractus.

Debetur laudemium de donatione facta ad vitam alicujus hominis, si is cui facta est ultra modicum vixerit tempus, cujus mors spectari debet ut verificetur, quod vixerit per non modicum tempus; quia vita illius hominis est in suspenso, & quæ in suspenso, vel pendenti sunt, futuro eventu declarantur.

Quando in venditione fit donatio, si quid res vendita plus modo valet pretio venditionis, non debetur laudemium ex tali donatione, quia est accessorium venditionis, quam principaliter partes facere intendunt, quod accessorium ad principale adstringitur, & amplectitur, ejusque recipit qualitates.

Mulier tenentaria, si donat, vel alio titulo lucrativo
alie,

alienat in suos ex recta linea descendentes, non est debitum laudemium, quia sui successores ex recta linea sunt capaces succedere illam tenutam.

Si pater donat bona sua ejus filio, nepti, vel pronepti, aut cuicumque alio ex descendantibus, nullum debetur laudemium, quia inter eos non fit alienatio, sed domini continuatio.

Filii enim, vivente patre, quodam modo domini existimantur, quia pro una, & eadem reputantur persona, pater enim est caput filii, qui non dicitur integra persona; & cum alienatio sit actus per quem dominium in alium transfertur, in qua bina requiruntur extrema, scilicet alienantis, & acquirentis, & pater, & filius per juris fictionem non sint nisi unum extremum, ideo inter eos non potest alienatio fieri.

Si donatio sit facta cum pacto, quod decedente filio donatario sine liberis bona donata deveniant ad donatorem, seu ejus hæredem, si iste est de liberis testatoris, & ei bona deveniant, non tenetur solvere laudemium, quia non fratri, sed patri, & ejus judicio succedit, & fit continuatio domini, & possessionis.

De donatione rei feudalis, seu emphyteuticariæ facta à patre filiæ in dotem æstimate, & ita per filiam constitutæ, debetur laudemium, si illa æstimatio emptionem, & venditionem facit.

Eodem modo debetur si dicta donatio est facta à fratre, vel alia extranea persona, etiamsi detur inæstimate; quia hoc casu donataria nullum jus habet in bonis donatoris.

Veruntamen si datur à patre inæstimate, vel à fratre, ut hærede patris, & judicio istius, nullum debetur laudemium.

Pater inæstimate donans filio, seu filiæ rem feudalem,

dalem, seu emphyteuticariam insolutum legitimæ, & aliorum jurium, filio, vel filix competentium in bonis paternis, non debetur laudemium, quia filii jure naturæ habent jus quæsitum in bonis patris sui, & tunc dicitur continuare dominium jure naturæ.

¶ Laudemium in emphyteusis in Civitate Barcinonæ, ejus suburbiis, hortisque, & vineto ejusdem, tantum solvitur de intrata, & impositione census in nuda perceptione, non vero de censu cum dominatione; extra vero dicta loca nedum solvitur de intrata, verum etiam de censu imposito, quia census impositio est alienatio, & extra loca citata antea solvebatur tertium *avant*, quod nunc limitatur ad tertium simplex.

¶ In dicta civitate, & locis prædictis, si prædium, quod subemphyteuticatur est de alodio laicali, sive prædium sit rusticum, sive urbanum, solvitur tantum decima pars pro laudemio, tam de intrata, quam de censu in nuda perceptione, non vero de censu cum dominatione.

¶ Si vero prædium est de alodio ecclesiastico, sive sit rusticum, sive urbanum, solvitur pro laudemio quarta pars de intrata, de censu vero in nuda perceptione quinta pars de prædio rustico, & septima de urbano.

¶ Si vero subemphyteuticatio fit per forenses civi de prædio sito in hortis, & vineto de alodio ecclesiastico, sive sit rusticum, sive urbanum, solvitur tertium simplex per subemphyteuticantem.

¶ Quando in subemphyteuticatione adjicitur pactum, quod novus emphyteuta teneatur mittere, & convertere in melioratione prædii aliquam quantitatem, de ea nullum debetur laudemium, quia emphyteusis est ad meliorandum, & cum dicta melioratione domini jus efficitur melioris conditionis.

Si pactum fit, quod acquisite non possit reddere prædium quin prius missa, & conversa sit dicta quantitas in melioratione, aut solutum id quod ex ea mittere defuerit loco pœnæ, & reddendo prædium solvatur dicta quantitas, neque est debitum laudemium; quia sicut de pœnæ impositione non debetur, neque de ejus solutione.

Tamen si pactum adjectum sit, quod ultra censum noviter impositum acquisite teneatur penes se incarcere censuale quoddam, ad cujus solutionem prædium concessum est obnoxium, illudque luere, & donec, & quousque illud quitaverit teneatur solvere pensiones sine damno stabilientis, ex capitali dicti censualis debetur laudemium; quia pactum hoc est valor rei, ac onerosum.

Laudemium debetur de creatione pensionis censuaræ, quæ fit favore extraneorum, seu collateralium, secus autem favore descendendum.

De facultate concessa luendi censum non debetur laudemium incontinenti, nam sicut non debetur de promissione vendendi, licet sit per arrhas, nec peti potest ante venditionem, quia aliud est vendere, aliud promissio vendendi, per quam promissionem res non traditur, & laudemium non debetur, nisi res realiter tradatur, quia tunc acquiritur dominium per emptorem.

Ita etiam aliud est luere, & aliud facultas luendi, & sic quando fit luitio tunc est debitum laudemium, quia tunc latius, & extensius fit dominus quam ante luitionem.

Deinde cum luitio sit in mera facultate acquisite, ita quod dominus non potest eum cogere ut luat, & sic si prædium reddatur antequam luitio fiat, laudemium esset solutum pro quantitate, quæ nunquam fuit soluta.

De luitione autem census, sive in toto, sive in parte, est debitum laudemium de pretio quantitatis luitæ, secundum clausulam quinti in prædio rustico, & septimi in urbano, si est de alodio ecclesiastico, de laicali vero alodio semper est decima pars.

Carta precaria semper debet firmari in Civitate Barcinonæ, & suburbiis, hortisque, & vineto ejusdem per dominum medium, qui est *cors à cors* cum emphyteuta possidente, nisi sit in nuda perceptione, quia tunc dominus superior eam firmare tenetur; extra vero dicta loca semper firmatur à domino directo, pro qua carta dantur novem solidi.

Censum habentes in nuda perceptione non possunt cartam precariam firmare, quia nullum jus habent in re, nisi firmam, & faticam, non vero partem laudemii.

Ususfructuarius non potest novam investituram facere, quia finiretur finito usufructu, cum resolutio jure concedentis, resolvatur jus accipientis.

Dominus non potest cogi ad novam investituram, seu cartam precariam emphyteutæ faciendam, quin prius sibi solvantur laudemia præteritarum alienationum.

Ex transactione cum qua res feudalis, seu emphyteuticaria in alium transfertur, aliquo dato, vel retento, debetur laudemium, quia fit alienatio, & emphyteutæ mutatio.

Si vero in vim transactionis dominium fuit translatum penes possidentem, etiam debetur laudemium: At vero si transigendo possidens penes se rem retinet aliquid adversanti dando, vel faciendo, non debetur laudemium, quia sola dimissio litis, seu instantiæ intervenit.

Nam tunc non fit alienatio, nec emphyteutæ mutatio, quia cuique licet vexationem suam redimere, & etiam

etiam quia remittens ex causa transactionis non alienat, sed remittit jus, & agit de non acquirendo.

Licet variæ sint opiniones circa ad quod tempus fieri potest locatio, sine metu solvendi laudemium, scilicet, vel usque ad septennium, vel novennium; sed ex consuetudine regulariter fit ad quinquennium, quia rerum dominia non debent esse prorsus inutilia penes dominos.

De frequenti tamen usu in majori parte Cathalonix, longum tempus dicitur quod excedit quinque annos; ubi tamen est consuetudo, seu privilegium, longum tempus dicitur decem annorum.

De locatione ad modicum tempus nullum debetur laudemium, quia modicum in jure non est considerandum, & nullum jus, neque possessio transfertur, & conductor solam detentionem habet, quia nomine domini possidet.

De locatione autem, quæ fit ad longum tempus, debetur laudemium, quia dicitur alienatio, & conductor ad longum tempus habet utile dominium, & etiam quia inter emphyteutam, & conductorem ad longum tempus nulla fit differentia.

De locatione perpetua fructuum perceptionis debetur laudemium, quia talis locatio est perpetua alienatio, & dicere loco in perpetuum est simulatio.

Sed an ex locatione, quæ fit ad longum tempus retinendo penes se, & suos utile dominium, ita quod non transferatur conductori, nec ei constituatur jus in re, sed solum fructuum commoditatem, an debeatur laudemium?

Affirmativam tenet Solsona in sua Lucerna forma locationis n. 2. loquendo de locationibus factis de prædiis sitis in Civitate Barcinonæ, & suburbiis, hortisque, & vineto ejusdem; negativam vero tenet idem Solsona in

dicta Lucerna prælud. 4. num. 24, ubi indifferenter loquitur de prædiis.

Locationes pro duobus, aut pluribus quinquenniis, ita ut finito uno alterum incipiat, quia pariter est alienationis species, est debitum laudemium.

Sed an debeat laudemium ex locatione, quæ fit ad quinque annos, cum pacto quod si contrahentes finito tempore nolunt continuare locationem, teneantur monere unus alio, aliter intelligatur velle continuare ipsam locationem cum eis de pactis, & conditionibus, certe non debetur, quia stat in arbitrio contrahentium continuare, vel non, & tunc si monitio unius alteri non fit, censetur facta nova locatio.

Etiã prohibita sunt locationes fieri una viro ad quinque annos, altera uxori ad alios quinque annos, & altera filio ad alios quinque annos, quia est species alienationis, & quod una via prohibitum est, alia fieri non debet.

Si inter duos, aut plures, quorum unus est emphyteuta, & alius, vel alii, non fit societas omnium bonorum suorum, & utriusque eorum ad in perpetuum, vel ad tempus, ita quod omnia bona eorum sint communia, nullum debetur laudemium, licet illa res emphyteutica videatur donata, & per communionem ille, seu illi, qui non erant emphyteuta, tales esse videantur.

De rerum divisione, quæ commode dividi possunt, si intervenit pecunia debetur laudemium: si autem non possunt commode dividi, non debetur, quia primo casu nulla consideratur necessitas, secundo vero omnino consideratur.

Ex divisione, in qua aliqua res hæreditaria æstimate datur alteri ex dividendis, non debetur laudemium,
quia

quia tali casu æstimatio tantum fit ut commode divisio fieri valeat.

Res emphyteutica à defuncto relicta potest inter filios, & alios quoscumque dividi, quocumque modo voverint, sine laudemii solutione, etiamsi interveniat pecunia, & etiam adjudicando rem uni, & pecuniam alteri.

Ex divisione, & remissione, quæ fit inter socios, & cohæredes extraneos, nullum debetur laudemium, quia semper est necessaria, nam communio multa fert incommoda, & difficultates.

Si divisio inter cohæredes collaterales, & extraneos, aut inter socios, fit, & intervenit realis, & actualis traditio, & fit judicio familiæ erciscendæ, sive judicio communi dividundo, non debetur laudemium; quia divisio ita facta non dicitur alienatio, sed est assignatio partium divisarum facta dividendum, & non est nova acquisitio, & translatio, quia ante divisionem, & assignationem ille, cui res adjudicatur, jam erat emphyteuta.

At vero si divisio non fit realis, & actualis, sed uni ex dividendum rem assignando, & alii, vel aliis pro compensatione pecuniam, seu aliam rem dando, & tradendo, aliqui tenent laudemium deberi de valore portionum quas acquirit is, cui adjudicantur, quia tunc non videntur partes divisæ, sed emptæ, si compensatio fit in pecunia, vel permutatæ, si fit in alia re.

Alii tamen tenent, quia partes primam, & principalem intensionem dividendum habuerunt, tunc res, seu pecunia pro compensatione intervenit accidentaliter, seu accessorie; & accidentale, seu accessorium debet trahi ad naturam sui principalis, à quo separari non debet, ex tali divisione non debetur laudemium, nisi fraus esse adhibita.

Si

Si vero tota res uni adjudicatur, & alteri pecunia, seu alia res pro compensatione datur, & non fit causa divisionis, sed donationis, permutationis, vel aliàs, tunc debetur laudemium de valore portionis, quam is, cui res adjudicatur, acquirit à cohæredibus, seu consociis.

Cohæredes, seu socii, si non possunt convenire de divisione, sed eorum communi consensu, seu judicis judicio res, quæ erat dividenda, licitatur, & plus offerenti assignatur, cum pacto quod aliis compenset in pecunia, vel alia re, si admittitur licitator extraneus debetur laudemium, quia tunc non habuerunt animum dividendi inter se; si vero extraneus non admittitur, non debetur laudemium, quia tunc licitatio tantum fit causa divisionis, ut dividentes sciant quantitatem compensandam.

Ex diffinitione, & remissione, quæ fit inter socios, & cohæredes, non debetur laudemium, quia tunc non fit alienatio, nec emphyteutæ mutatio.

Neque debetur laudemium de renuntiatione facta per fratrem fratri de portione sibi tangente in hæreditate paterna, sive fiat gratis, sive mediante pecunia, quia renuntians non se immiscuit in hæreditate, quam adivit frater, cui fit renuntiatio, & tunc non fit mutatio emphyteutæ; & si forsan fit, est mentalis, & intellectualis ab omni corporeo facto, nudæ æquipollens repudiationi, & pro abstineo, & repudio tali casu recipitur.

Ex diffinitione facta per fratrem fratri de juribus illi competentibus in bonis paternis, si datur pro ea pecunia, vel aliqua res emphyteuticaria, seu feudalis inæstimata, nullum debetur laudemium, quia filius jure naturæ habet jus quæsitum in dictis bonis; si vero datur æstimata, aliquis tenet laudemium deberi.

Quando pater filio, seu filiæ insolutum legitimæ legatum.

gatum facit de aliquo prædio feudali, seu emphyteuticario, nullum est debitum laudemii, quia tunc non fit alienatio, sed dominiis & possessionis continuatio.

Si hæres institutus, adita hæreditate, pro re legata dederit legatario valorem ipsius rei, non debetur laudemium, quia licet testator ipsam rem à sua hæreditate separare voluit, separata non est, & conventio inter hæredem, & legatarium pro istius abstineo, & repudio censetur.

Legatarius extraneus, seu collateralis non tenetur solvere laudemium de re emphyteutica sibi legata, statim mortuo testatore, & per hæredem adita hæreditate, nisi assequuto legato.

Quando hæres extraneus post aditam hæreditatem tradit legatario extraneo rem de hæreditate à testatore legatam, non debentur bina media laudemia, & media tertia; sed tantum unum medium tertium, & medium laudemium, quia acceptatio legatarii retro trahitur, & ex morte testatoris censetur illa translata ad legatarium, etiam ignorantem, & sic non est duplex alienatio transversalis, sed una tantum à testatore facta.

Si quis legaverit extraneo, vel collateralis rem emphyteuticam in die, vel sub conditione, si dies, vel conditio non statim sequatur post testatoris obitum, debentur bina media laudemia, & bina media tertia, si successiones utiles, & lucrosæ legatario sunt.

Attamen si dies, vel conditio incontinenti post obitum testatoris existerent, tunc non deberetur nisi unum medium laudemium, & medium tertium; quia non videtur quisquam id capere, quod incontinenti habet aliis restituere.

Pater instituens filium, neptem, vel proneptem, aut alium ex descendibus in hæredem universalem, non.

non debetur laudemium, quia tunc hæredis institutio non est alienatio, sed dominii, & possessionis continuatio.

Neque hæres fideicommissarius, si est de testatoris descendens, nam succedit iudicio patris.

In feudis filius vivo patre intelligitur institutus, ac etiam possidere, & sic continuatur in eum possessio sine ulla investitura, nam magis venit continue, quam ad novæ possessionis adaptionem.

Quando pater testator disponit, quo decedente filio primo loco instituto cum, vel sine liberis, & quod istius proles finita succedat secundus, tertius, & cæteri filii, vel nepti, & sui descendentes gradatim, tunc quamvis dicatur hæreditas fratris fratri delata, non debetur laudemium, quia iudicio patris testatoris succedunt, à quo tantum habent causam, & non iudicio fratris, à quo causam non habent.

Sed si instituatur hæres extraneus tenetur solvere laudemium prout de titulo lucrativo.

Sed si testator hæredi extraneo instituto, alium, seu alios extraneos substituat gradatim, casu quo institutus, & substituti decedant sine liberis, & institutus, & aliqui substituti ita moriantur, an ex quacumque ipsorum successione debeatur medium laudemium, & medium tertium? Quidam tenent deberi quia plures sunt extraneorum successiones. Quidam tenent non deberi nisi tantum unum medium tertium, & medium laudemium ab hærede primo instituto, quia iste deficiente sine liberis substitutus vigore ejusdem testamenti capit bona testatoris, & non est in vim novi tituli.

In Civitate Barcinonæ, & suburbiis, hortisque, & vineto ejusdem, de legato, & hæredis institutione non debetur laudemium inter cives, neque inter cives, & forenses de prædiis istis in dicta civitate, & suburbiis.

Si

Si vero per forensem fit legatum, seu hæredis institutio favore civis de prædio, seu hæreditate sitis in prædicta civitate, suburbiis, aut in hortis, & vineto, nullum debetur laudemium, quia cives de titulo lucrativo non tenentur solvere.

Attamen si per civem fit legatum, aut hæredis institutio de prædio, seu hæreditate sitis in dictis hortis, & vineto favore extranei, iste tenetur solvere laudemium prout de titulo lucrativo.

De restitutione hæreditatis facta per hæredem gravatum fideicommissario debetur laudemium non respectu proprietatis, sed considerata vita, quam vivere potest is, qui restituit, eodem modo quo de donatione, retento usufructu, dictum est.

Tamen aliqui contrarium sentiunt, quia si substitutus per fideicommissum est de liberis testatoris succedit nedum in proprietate, sed etiam in fructibus, & si de bonorum successione non debetur laudemium, neque de successione in fructibus. Deinde quia, jam dictum est, dominus in fructibus nullum dominium habet.

Si in hæreditate restituta adsunt bona per hæredem gravatum acquisita, vel ex fructibus hæreditatis, aut aliàs, & simul cum hæreditate veniunt ad substitutum, tunc de dictis bonis debetur laudemium, quia non sunt de hæreditate testatoris, nec ab isto vocatus est substitutus.

At vero si hæreditas, vel aliquid de hæreditate per patrem relinquatur per donationem, institutionem, substitutionem, vel legatum filio illegitimo, debetur laudemium, quia iste non succedit in emphyteusi, & nunquam fuit in patria potestate, & ut extraneus reputatur.

Matri vero succedunt illegitimi eadem ratione qua legitimi, & naturales, & ex bonorum matris successione non tenentur solvere laudemium.

Ex absolute, diffinitione, & remissione facta per fideicommissarium de fideicommisso in sui favorem facto, non debetur laudemium, quia remittens non alienat, sed agit de non acquirendo.

In Civitate Barcinonæ, & ejus suburbiis, hortisque, & vineto ejusdem, de restitutione hæreditatis facta ab hærede gravato, si est inter cives, & in civitate, & suburbiis inter cives, & forenses non debetur laudemium; in dictis hortis, & vineto, si fit per forensem civi neque debetur, si vero fit per civem forensi est solvendum.

Filii legitimi, & naturales patri ab intestato succedentes non tenentur solvere laudemium, quia non fit alienatio, sed domini continuatio, licet hæreditas in pluribus dividatur.

Pater ab intestato decedens, plures habens filios legitimos, & naturales, quorum major realiter, & de facto se immiscuit in hæreditate, cæteri vero non, nec abstinerunt expresse, sed renuntiant fratri; qui se immiscuit, quamvis pro dicta renuntiatione recipiant pecuniam, vel aliam rem, non debetur laudemium de dicta pecunia, seu re intervenientibus.

Nam per dictam renuntiationem non fit alienatio, nec rei traditio, nisi illa, quæ fit à patre in filium, qui se immiscuit, & potius dicitur domini continuatio, quam alienatio, & ex illa non debetur laudemium, quia fratres renuntiantes nullum actum corporeum circa assequendam possessionem corporalem exercuerunt, & sic non fuit translata realis, & actualis possessio.

Si autem per fratres renuntiantes ante renuntiationem pro sua parte esset adita aliquo exteriori motu, seu signo, tunc de dicta renuntiatione, re, vel pecunia intervenientibus debetur laudemium.

Clausula ponenda in venditione, vel alia onerosa alienatione de prædio urbano alodio ecclesiastico, sito in Civitate Barcinonæ, aut ejus suburbiis, vel hortis, & vineis ejusdem facta inter cives.

Et salvo inquam laudemio inde pro prædictis solvere competenti, quod laudemium est secundum pronuntiationem arbitralem, septima pars totius pretii, & de stabilimentis quarta pars intratæ, si dominus directus est solus, & tertia pars septimæ partis, ac quarta pars quartæ partis, ubi sunt emphyteutæ medii unus, vel plures post immediatum.

Dictum laudemium sic dividitur: si dominus directus est solus recipit integram dictam septimam, vel quartam partem; si sunt duo domini, directus recipit tertiam partem dictæ septimæ partis, & quartam partem dictæ quartæ partis, & alter unum solidum sex denarios pro libra totius pretii, seu intratæ.

Si sunt tres domini: directus recipit ut dictum est, immediatus sex denarios, & ultimus unum solidum pro libra totius pretii, seu intratæ; si sunt quatuor domini, directus recipit ut supra; reliqui vero sex denarios, unusquisque de pretio, seu intrata.

Si vero dicta alienatio fit de dicto prædio urbano alodio ecclesiastico sito in dicta civitate inter forenses, vel inter cives, & forenses, ipsa clausula est inserenda, & laudemium modo prædicto dividitur.

Clausula ponenda in venditione, seu alia onerosa alienatione de prædio rustico sito in Civitate Barcinonæ, & ejus suburbiis alodio ecclesiastico, facta inter cives, & inter forenses, vel inter civem, & forenses de dicto prædio ejusdem alodii.

Et salvo inquam laudemio, &c. quod laudemium est secundum sententiam arbitralem, quinta pars totius

pretii, & quarta pars intratæ in stabilimentis, si dominus directus est solus, & tertia pars quintæ partis, & quarta pars quartæ partis, ubi sunt emphyteutæ medii, unus, vel plures post immediatum.

Dictum laudemium dividitur sic: si dominus directus est solus recipit integram quintam, vel quartam partem; si sunt duo domini, aut plures, directus recipit ut dictum est, cæteri vero pro ut explanatum est de prædio urbano.

Si vero civis vendit forensi aliquod prædium situm in dictis hortis, & vineto de alodio ecclesiastico, sequens clausula est inserenda.

Et salvo inquam laudemio, &c. quod laudemium est quinta pars (si prædium est rusticum), vel septima pars (si est urbanum) totius pretii secundum sententiam arbitralem; cæteræ autem dictæ clausulæ poni assuetæ hic non inseruntur; quia vos dictus emptor non estis civis Barcinonæ, imo forensis.

Dictum laudemium dividitur pro ut supra extat dictum de prædiis urbanis, & rusticis ecclesiastico alodio. *Clausula ponenda in venditione, vel alia onerosa alienatione de prædio, sive rustico, sive urbano, alodio ecclesiastico, in quo succedit laicus.*

Et salvo inquam laudemio, &c. quod laudemium est secundum sententiam arbitralem, ex eo quod dictus N. succedit dicto beneficio post dictam sententiam septima pars, &c., & continuatur dicta clausula, secundum de prædio urbano dictum est.

Si autem prædium est rusticum, loco *septimæ partis* est dicendum *quinta pars*, & continuatur, pro ut de prædio rustico expositum est.

Dicta laudemia dividuntur, pro ut de prædiis urbanis, & rusticis respective est naratum.

Si vero forensis vendit civi aliquod prædium, sive rusticum, sive urbanum, situm in dictis hortis, & vineo de alodio ecclesiastico, sequens clausula est inserenda.

Et salvo inquam laudemio, &c. clausula assueta poni in instrumentis venditionum, & aliarum alienationum, quæ fiunt de honoribus situs in territorio Barcinonæ, qui tenentur pro Ecclesia, hic non inseritur, cum ego forensis sim, & ut talis teneor solvere laudemium, sed in venditionibus, & alienationibus, ab inde fiendis in cives Barcinonæ, erit inserenda clausula quinti.

Si prædium est urbanum loco clausulæ quinti est dicendum clausula septimi, quod laudemium solvendum à forense est tertium integrum, quod percipit dominus directus, si est solus; si vero adsunt alii inter eos, dividitur æqualiter.

Si prædium urbanum causa habitandi factum est in prædio rustico alodio ecclesiastico, situm in civitate, & etiam in territorio Barcinonæ, sequens clausula est inserenda.

Et salvo inquam laudemio, &c. quod laudemium est, eo quia in solo ipsius petiæ terræ constructæ sunt domus, juxta sententiam arbitralem septima pars, &c. & continuatur clausula septimi, & laudemium dividitur, pro ut de urbanis prædiis dictum est.

Si vero domus prædictæ dirutæ fuerint, & prædium reversum est rusticum, sequens clausula est inserenda.

Et salvo inquam laudemio, &c. quod laudemium est secundum sententiam arbitralem, quinta pars totius pretii, &c. continuatur dicta clausula, pro ut de rusticis est dictum, & postea est addendum.

Et est sciendum, quod licet in instrumentis antiquis, de dicta petia terræ factis, inserta sit clausula septimi,

reci-

recipit alterationem in vim dictæ sententiæ, eo quia domus, in dicta petita terræ constructæ, dirutæ sunt, & ideo inserta est clausula quinti.

Si in concessione prædii pactum fuit, quod emphyteutæ non liceat prædium stabilire, imponendo censum cum dominatione, sed tantum in nuda perceptione, erit inserenda clausula sequens.

Et salvo inquam laudemio, &c. quod quidem laudemium secundum sententiam arbitralem est quinta pars (si prædium est rusticum), vel septima pars (si prædium est urbanum), cæteræ vero dictæ clausulæ hic non inseruntur, quia dictum prædium non potest stabiliri cum impositione census in dominatione.

Clausula ponenda in venditione, vel alia onerosa alienatione de prædio alodio laico, sive sit rusticum, sive urbanum, situm tam in Civitatæ Barcinonæ, vel suburbiis, quam in hortis, & vineto.

Et salvo inquam laudemio, &c. quod laudemium est decima pars totius pretii, seu intratæ in stabilimentis, quia dominus directus laicus est, & sic dividitur.

Si dominus directus est solus, recipit integram decimam partem; si sunt duo domini, directus habet sex denarios pro libra, alter vero unum solidum, & sex denarios etiam pro libra; si tres sunt domini, directus, & immediatus habent unusquisque sex denarios pro libra; si sunt quatuor domini, unusquisque eorum habet sex denarios pro libra.

Si vero alienatio est lucrativa de prædio, sive rustico, sive urbano, sito in dictis hortis, & vineto facta inter forenses, vel per forensem civi, solvitur medium laudemium, idest unum solidum pro libra, quod dividitur proportionaliter, ut dictum est de decima parte.

Si Ecclesia succedit laico post sententiam arbitralem, sic est dicendum.

Et salvo inquam laudemio, &c. clausula vero laudemii assueta poni in instrumentis alienationum de prædiis, quæ tenentur per Ecclesiam, sitis in Civitate Barcinonæ, & ejus territorio, hic non inseritur, quia dicitur N. succedit N. qui laicus erat, post sententiam arbitralem, & ideo ei non solvitur, nisi quod laicis dari est assuetum, hoc est decimam partem.

Si conceditur precarium, pro quo dantur novem solidos, sic dividuntur: si dominus directus est solus, recipit novem solidos; si sunt duo domini, directus recipit duos solidos, & tres denarios, & alter sex solidos novem denarios; si tres sunt domini, directus habet sex denarios, & medium; immediatus unum solidum sex denarios, & ultimus sex solidos undecim denarios, & medium; si autem sunt quatuor, directus habet sex denarios, & medium; immediatus sex denarios, tertius unum solidum; ultimus sex solidos undecim denarios, & medium.

Tamen nonnulla sunt loca, in quibus, nec de onerosis, nec de lucrativis titulis solvitur laudemium, ut sunt Villa Mediolani vigore privilegii.

In vallis de Ribes de venditionibus quæ fiunt inter habitatores dictæ vallis vigore regionum privilegiorum.

Neque solvitur de lucrativis in Civitate Gerundæ, & in Villis de Igualada, Moyá, Cardedeu, Granollers del Vallés, nec in Parochiis de Llerona, Corrodemunt, Corrodevall, Marata, & in districtu Franquedarum Vallensis, in quo districtu nec de onerosis solvitur.

De lucrativis non solvitur in Villafrancha Poenitensi, neque in Civitate Mataronis, vigore regionum privilegiorum.

In Villa de Arenys de mar, sive Devall, nec de lucrativis, nec de onerosis titulis solvitur laudemium de prædiis, quæ antiquitus fuerunt de alodio Vice-Comitis de Capraria, quia dominium cum obventionibus venditum fuit. Decurionibus dictæ villæ, qui postea pretium recuperarunt ab in colis ejusdem villæ.

In Villa de Vilanova, & Geltrú non solvitur de lucrativis, sed tantum de onerosis titulis.

§. II.

De Jure Prælationis, seu Faticæ.

Jus retractus, sive congrui, aut faticæ, sive prælationis, aliud est quod competit ratione vicinitatis, aliud ratione consanguinitatis, de quibus non est sermo, & aliud ratione domini.

Dictum jus ratione domini competit dominis alodia tenentibus, nedum in Civitate Barcinonæ, & ejus suburbiis, hortisque, & vineto ejusdem, verum etiam extra dicta loca, sicque bina jura habent in re emphyteuticaria, sive feudali, aut laudemium percipere, aut retractus jure uti.

Tamen prædicta bina jura non competunt eis accumulative, & conjunctive, sed disjunctive, & alternative; nam ubi datur alicui electio, & elegit, unum eligendo, præjudicat sibi in non electo, quia impossibile est naturæ duo inter se contraria operari posse, & sic repugnat laudare, & non laudare contractum, rem retinere, & laudemium percipere.

Tamen si utitur faticæ alteri concedendo, quod fieri potest, tunc domino debetur laudemium ab eo, cui concessa est faticæ, quia iste tenetur solvere quidquid tenebatur ille à quo jure faticæ retrahitur.

Fatica potest competere ex causa legali, ut quando aliquis creditor cæteris præferatur, de qua non est sermo.

Vel ex statuto, ut quando statuto cavetur ut agnatus, sive proximior consanguineus aliis præferatur quando res venditur.

Aut ex pacto inter partes, ut quando venditur aliqua res immobilis cum pacto, quod infra certum tempus, vel quandocumque voluerit vendens possit illam recuperare.

Et etiam ex conventionione, quando inter contrahentes paciscitur, quod si emptor rem emptam vendere voluerit, suus venditor cæteris præferatur emptoribus, de quibus nec est sermo.

Denique competit fatica natura, seu qualitate rei feudalis, seu emphyteuticariæ, de qua tantum hic est verbum.

Fatica est jus prælationis, seu retinendi rem feudalem, seu emphyteuticariam alienatam pro eodem pretio, domino directo competens.

Ex quo videtur quod dominus non habet fatiçam, seu retractum ex omni contractu alienationis, sed ex venditione, insolutum datione, emphyteusi, & locatione perpetua, maxime extante pacto afrancandi, quia facit transire locationem in venditionem.

Dominus directus duplici modo potest uti retractu, seu fatica, vel penes se retinendo, vel alteri concedendo, & licet de jure communi dominus directus fatiçam concedere non valeat, & ita practicatur per consuetudinem præscriptam in Diocesi Gerundæ, tamen nullum est dubium quod potest concedere, & præsertim cum venditio fiat propter pretium habendum, & emphyteutæ non interest à quo illud habet.

In tantum quod emphyteuta non potest alienare rem emphyteuticam sine domini consensu, sub caducitatis à jure suo, vel quin prius dominum requirat pro jure prælationis, qua uti potest.

Dominus directus de jure communi habet duos menses, de jure vero municipalis triginta dies ad utendum fatica, à die denuntiationis, quæ fit per instrumenti præsentationem.

Et si ei denuntiatum non fuit, non potest rem venditam retrahere à secundo, vel tertio emptore, sed tantum à primo, remanet ei semper salvum jus agendi ad interesse contra impositorem census, qui ommissa dicta denuntiatione alienavit.

Si utitur fatica infra triginta dies penes se retinendo, debet pretium solvere, vel deponere, aliàs fatica privatur, quibus triginta diebus elapsis non potest purgare moram, si de hoc fuerit oppositum, vel contradictum, secus autem si non fuerit contradictum, quia tunc potest moram purgare.

Neque potest moram purgare, si elapsis dictis triginta diebus realis, & corporalis possessio tradita fuerit emptori, vel iste eam apprehenderit, secus autem si non fuerit tradita, nec adeptæ.

Si dominus usus fuerit fatica retinendo, ei non debetur laudemium, quia tunc consolidantur dominia, & cessat ratio laudemii perceptionis.

Dominus retrahens sibi retinendo, postquam emptor intravit in possessionem inscio domino, & fecerit melioramenta, tunc dominus emptori nedum pretium, sed etiam valorem dictorum melioramentorum reficere tenetur, maxime si dictæ expensæ sunt utiles, & non factæ in fraudem domini, dummodo sint factæ ante motam litem, & factæ post litem motam non tenentur

reficere, nisi essent necessariæ, pro quibus retentio emptori datur.

Dominus retrahens retinendo, si invenerit laudemia sibi debita præterita, & non præscripta in solutione pretii, non potest compensare dicta laudemia, sed debet refundere emptori omne pretium quod solvit, quia habet causam onerosam, & dominus retinens videtur libenter subire onera, & hypothecas quibus est novissimus emptor obligatus, qui omnino exoneratur per dictum retractum, licet aliquis contrarium teneat.

Nam domino remanet actio ad petendum à prioribus possessoribus laudemia sibi debita ratione alienationum factarum eo inscio, si non essent præscripta.

Si emphyteuta vendens esset domino obligatus aliquo credito liquido ex aliqua adventitia causa, quæ non descendat ex re vendita; quidam tenent, quod dominus potest compensare si creditum est liquidum, quia æquipollet veræ, & reali solutioni. Quidam verò contrarium sentiunt, non posse compensare, sed debet solvere integrum pretium; quia est forma substantialis, & necessaria usus fatiæ.

Si emphyteuta vendiderit jus suum emphyteuticum pretio mille librarum, & dominus retinere volens nolit dare nisi quingentum libras, dicens quod ista sunt verum pretium, non potest retinere pro dictis quingentum libris, sed debet solvere integras mille libras, nisi venditor, & emptor finxerint rem vendere pro majori pretio quod res re vera est, ne dominus utatur fatiæ.

Nam constituto de collusionem poterit dominus rem æstimari facere ut pretium commune, & eo soluto retinere, nam rerum pretia communi æstimatione sunt facienda.

Si autem dominus dixerit fraudem sibi fieri in laudemio, quia pretium statutum à contrahentibus est minoris valoris rei venditæ, & quod vult laudemium juxta communem æstimationem, hoc non potest fieri, quia sibi retinendo suo damno consulere potest.

Si unico pretio alienentur plures res contiguæ facientes unum tantum prædium, quod tenetur sub diversis alodiis, dominus unius rei tantum nequit uti fatica, quia licet nemo invitus ex aliena voluntate venit ad communionem, ad quam hoc casu incideret, & gravatur dominus suis juribus, hoc eodem casu potest gravari, & non emphyteuta.

Si vero prædia unico pretio alienata sunt separata, & ex diversis alodiis, tenent aliqui quod dominus unius prædii potest retrahere illud quod est sui alodii; contrarium tenent alii.

Si dominus usus est fatica alteri concedendo, tunc domino debetur laudemium per illum cui fatica concessa est, quia tunc non fit consolidatio dominorum, directi, & utilis, & habetur ac si non uteretur.

Ille cui concessa est fatica debet infra ipsos triginta dies interpellare emptorem coram Notario, & testibus super usum fatica sibi concessæ, ut recipiat pretium quod solvit, ac expensas legales, & revenditionem sibi faciat; & si recusat, pretium, & expensas deponat ad soltam judicis coram quo eum citaverit, petendo condemnari ad faciendam revenditionem.

Si in dominio alodiali alius est dominus usufructuarius, & alius proprietarius, ille potest uti fatica, nedum ex potentia usufructus, quo casu utitur pro proprietario, quod facere potest, verum etiam ex pecuniis propriis, quo casu ejus effectus est, quod utile dominium perpetuo unitur, & consolidatur proprietati, & proprietario,

tario, & in utroque casu usufructuarius habet usumfructum, tam ratione pretii, & expensarum, quam ususfructus.

Et in utroque casu finito usufructu usufructuarius, seu ejus hæredes pretium, & expensas factas in retrahendo recuperat; quia tunc res proprietario restituitur.

Nec non etiam usufructuario, seu ejus hæredi solvitur laudemium, quia usufructuarius non retrahit pro se ut talis, sed ut procurator proprietarii, & ut extraneus, & ideo non debet amittere laudemium, quod haberet si non retraxisset.

Et si proprietarius non vult ratas habere dictas consolidationem, & venditionem, neque pretium, & expensas restituere, cogitur hæredi usufructuarii in emphyteutam recipere; tamen si dictus hæres usufructuarii propria auctoritate retinere vellet, reffectis pretio, & expensis potest à re expelli.

Potest etiam dominus proprietarius uti retractu, & debetur usufructuario laudemium secundum consuetudinem loci illius, quia facto domini directi, & proprietarii non debet usufructuarius privari laudemio ipso, quod assequeretur ab extraneo, si dominus proprietarius non retraxisset.

Arrendatarius censuum, jurium, reddituum, & emolumentorum, cui concessa est facultas retrahendi, potest retrahere jure faticæ, & licet sit de pecuniis propriis, facit, & censetur facere ac si esset domini procurator, & potest facere fructus suos, nedum durante arrendamento, verum etiam quousque pretium, & expensæ sibi à domino restituantur, & tanquam conductor habebit laudemium ex dicta unione, & consolidatione in vim suæ conductionis, & pactis de lucrando laudemium.

Maritus, cui per uxorem constituti sunt aliqui census cum dominatione, quos ab aliquibus recipiebat emphyteutis, in casu alienationis prædii emphyteutici potest uti fatica, & retinere, & ei competit non nomine suo proprio, sed nomine, & qualitate maritali, etiam invita uxore, & expresse contradicente.

Quia ei non fit, nec fieri potest præjudicium, nam tunc utile rei dominium consolidatur cum mulieris dominatione, & maritus tantum habet administrationem, & usumfructum in re consolidata, sicut in cæteris bonis.

Tamen finito usufructo viro constituto, uxor debet ei, seu ejus hæredi restituere pretium quod solvit, & expensas legales in retrahendo solutas, nisi in capitulis matrimonialibus pactatum sit, quod melioramenta facta durante matrimonio æqualiter dividantur, quia tunc tantum dimidium pretii, & expensarum restituere debet.

Beneficiatus non potest uti fatica retinendo nomine suo proprio, sed tantum ad opus Beneficii tenent aliqui.

Sed prædicta fallere videntur, quia Beneficiatus binas repræsentat personas, scilicet propriam, & privatam, & obtentorem Beneficii, & ut talis obtentor, sicut potest cedere alteri fatica, ita sibimetipso ut privatæ personæ, quia obtentor Beneficii non est usufructuarius sicut maritus, sed causalis sicut hæres gravatus.

Fatica in Civitate Barcinonæ, & suburbiis, hortisque, & vineto cedi non potest ante præsentationem instrumenti, neque extra dicta loca, quia tunc incipitur deberi, & non antea, nam ante præsentationem instrumenti, re integra extante, partes possunt contractum resilire, etiam invito domino, & tunc fatica reddetur inutilis, & nulla.

Et etiam quia ante præsentationem instrumenti do-
minus

minus non novit pacta, & conventiones factas, & an sint domini salvata ejus jura, quam scientiam non potest habere nisi instrumenta sint sibi præsentata.

Attamen si partes processerint ad actum rei alienatæ traditionis, inconsulto domino, potest uti fatica, instrumenti præsentatione non spectata; nam tunc propter fraudem, vel retardatam dolosam præsentationem domini conditio non debet fieri deterior.

Sed domino præsentato instrumento tunc habet jus quæsitum, vel in laudemio, vel in fatica, & partes non possunt resilire contractum in præjudicium domini, quia tunc quoad domini interesse res non potest dici integra, etiam si res non sit tradita, neque pretium solutum.

Neque dominus ecclesiasticus ante instrumenti præsentationem potest uti retractu nec retinendo, nec concedendo vigore constitutionis synodalis.

Dicta inquam præsentatio debet fieri per alium ex contrahentibus, & non per extraneam personam, quia amoveretur facultas emptori, & venditori resiliendi, & recedendi à contractu communi consensu, nisi præsentatio prorogaretur in fraudem domini.

Si prædium venditum est jure sub incerto, quia tunc non potest fieri præsentatio instrumenti, an dominus, directus possit uti fatica, vel non? videtur esse distinguendum, an dicta clausula sub *incerto jure* posita fuit ignoranter, vel dolose; si ignoranter, non potest retrahere, quia contrahentes nesciebant cui præsentatio erat fienda, & an si prædium erat alodiale, vel emphyteuticum: si vero dolose potest retrahere.

In Civitate Barcinonæ, & ejus suburbiis, hortisque, & vineto competit domino directo ecclesiastico fatica, tam retinendo, quam alteri concedendo, & etiam domino sæculari eodem modo, rejecta inter eos differentia.

Si præter dominum directum est dominus medius, iste potest retinere jure retractus pro se, non vero alteri concedere.

Si plures sunt domini medii, ultimus potest retinere, non vero alteri concedere, quia cum jam fuerit dominus utilis approbatus, si rem recuperat ratione facticæ, non potest reprobari, cæteri vero immediatus, & mediatus retinere non possunt.

Casu quo plures sint domini medii, & ultimus non usus fuerit fatica, tunc dominus directus, sive ecclesiasticus, sive laicus potest retrahere, non retinendo, sed alteri concedendo.

Extra dictam civitatem, suburbia, hortos, & vine-tum etiam competit fatica si dominus directus est solus, tam retinendo, quam concedendo alteri.

Si præter dominum directum sunt medii, unus, vel plures, istorum ultimus potest pro se retrahere, licet sit in nuda perceptione.

Fatica habet locum in venditione cum reservatione domini quousque pretium solvatur.

Pariter habet locum in subhastatione, quæ fit ordine judicis, nisi statutum, vel consuetudo loquantur de alienatione voluntaria, quia tunc non procedit in necessaria.

Ex venditione instrumento gratiæ ad certum tempus competit domino directo fatica pro illo certo pretio, sed finito illo tempore, sive fiat sine temporis præfinitione, statim restituto pretio tenetur restituere ipsum prædium.

De venditione juris recuperandi rem instrumento gratiæ venditum debetur domino directo fatigam, etiam si fiat rem possidenti cum pacto de retro, nisi in venditione instrumento gratiæ conventum sit, quod emptor
cum

cum dicto pacto cæteris præferatur emptoribus in dicta venditione juris recuperandi, licet ex ea debeatur laudemium, quia dicta prælatio emptoris præjudicat dominum consentientem.

Pariter debetur fatica de contractu innominato, do, ut des, si res datur pro certa pecuniæ quantitate.

Sicque debetur ex insolutum datione, cum sit ad instar venditionis.

Simili modo competit fatica domino quando res datur pro certa mensura tritici, vel certo pondere olei, aut alterius rei, recipientis functionem in genere suo sicut pecunia numerata.

Pari modo competit domino fatica ex subemphyteuticationis contractu, non retinendo, sed tantum alteri concedendo; sed si plures sunt domini, supradictum est cui competit.

Denique competit fatica in omnibus alienationibus, in quibus dominus, seu ille, cui concessa est fatica, potest facere, vel dare vassallo, seu emphyteutæ id, quod per alium, in quem erat facienda translatio, dandum, vel faciendum erat.

Fatica non habet locum in venditione solius ususfructus rei feudalis, seu emphyteuticariæ.

Neque habet locum quando venditio fit si dominus laudaverit, vel consensus accesserit, quia sub dicta conditione est imperfecta, cujus perfectio committitur in personam domini, qui si consentit fatiçæ renuntiat; si non laudat, neque laudemium, nec fatiçam habet.

Ex venditione conditionali non debetur fatica, nisi conditione purificata, quia ea pendente est imperfecta.

Tamen si pendente conditione, vel si pactum dominus laudaverit, venditor rei possessionem tradiderit emptori, vel iste propria auctoritate eam acceperit, tunc

domino faticam, aut laudemium debetur, quia dominium rei jam est translatum, & persona emphyteutæ mutata.

Pariter non habet locum retractus, sive fatica in contractu donationis, nisi res detur pro certa pecuniæ quantitate, ut est dictum.

Neque debetur ex legato, quia est species donationis.

Nec ex permutatione debetur retractus, vel fatica.

Etiam non debetur ex revenditione, quæ fit in vim pacti retro, etiam si dictum pactum esset protestatum, nam dicta protestatio, tanquam contraria naturæ venditionis cum pacto de retro, esset nulla.

Ex transactione non debetur fatica, neque ex illius dissolutione, quia non est propria venditio, seu alienatio, saltem voluntaria, sed necessaria, & quia retrahere volens non potest dare, vel facere id quod transigens.

At si transigendo res datur pro pecunia, an sit locus fatiæ? est distinguendum, aut transfertur rei dominium, aut remanet penes possidentem; primo casu locus fit retractui.

Si tamen res remanet penes possidentem pecunia interveniente, iterum est distinguendum, aut dominium transfertur penes possidentem, aut fit sola dimissio litis: Primo casu debetur fatica, quia certe debetur laudemium, quia transfertur titulus, & dominium.

Si autem solum fit dimissio litis, seu causæ, non debetur fatica, quia tunc non debetur laudemium, nam tali casu non fit rei alienatio, nec emphyteutæ mutatio; cuique enim licet vexationem suam redimere.

Neque debetur fatica in re pignoratâ, cum debitor semper remanet dominus pignoris, nisi esset pro tanto pignoratâ, ut nulla sit spes luitionis, nam cum

tunc

tunc videatur abdicatum dominium debitoris, locus est retractui, tamen fructus non imputantur in sortem.

Neque habet locum retractus in fructibus pendentibus, si divisim sine fundo vendantur, quasi habeantur pro movilibus, cum statim sint separandi.

Denique non habet locum fatica, seu retractus in illis alienationibus, in quibus dominus nec per se, nec per alium potest facere, vel dare id, quod per illum, in quem est facienda translatio, dandum, vel faciendum est.

Tutor potest præjudicare pupillo in fatica, si intimata venditione non retraxerit intra tempus præfixum, quia in jure quærendi tutor pupillo præjudicare potest.

Tamen non potest sine solemnitatibus jus retrahendi conventionale remittere, nisi tacite sinendo labi tempus.

Privatur dominus fatica: *Primò*, si petierit laudemium ab emphyteuta illud solvere debente, etiam si petitio extrajudicialis sit.

Secundò, si perceperit laudemium de ipsa alienatione debitum, etiamsi minimam partem; si tamen dicta perceptio laudemii, & ejus petitio est infra triginta dies à die præsentationis instrumenti, intra quos, & non postea competit fatica.

Tertiò, si dominus paciscatur cum emphyteuta de sibi solvendo laudemio, ex quo convenit cum illo, censetur approbare contractum cum eo factum.

Quartò, si dominus habet fidem de laudemio, per quam visus est fatigam renuntiare.

Quintò, si dominus ante, vel post venditionem coram emphyteuta dixerit se nolle uti fatica, quia si postea poeniteat, non admittitur ejus poenitentia.

Sextò, si præsentato sibi instrumento venditionis rem penes se retinendo infra triginta dies pretium non de-

posuerit, & expensas legales factas per emptorem, à quo res retrahitur non solvitur, nam dictis elapsis triginta diebus præscriptum jus dicitur adversus dominum.

Septimò, quando una, vel pluribus rebus venditis dominus non vult nisi partem rei venditæ, si habet jus, & facultatem habendi totam, vel si venditor ei offerat quod integraliter eas habeat, restituendo integrum pretium, & maxime si res illa non potest commode dividi, seu separari.

Octavò, si dominus intervenerit in venditione, & unicum venditore illam convenerit.

Nonò, si dominus se obligaverit teneri de evictione.

Decimò, si dominus ad capibreviandum vocaverit emphyteutam, & ei mandatum de capibreviando præsentatum fuerit, quia videtur novum emphyteutam approbasse, & juri faticæ renuntiasset.

Undecimò, si rem, quæ pro se tenetur, permiserit subhastari, & in subhastatione ejusdem hastam fiscalem alteri liberari.

Duodecimò, si postquam sciverit alienationem annuali spatio tacuerit.

Decimotertiò, si facta venditione, & præsentatione instrumenti infra triginta dies non utatur fatica, ea privatur privatione statuaria hujus Principatus, nisi moram purgare possit.

Decimiquartò, si duo sunt domini directi ecclesiastici æquales in juribus, & unus vult retinere, & alter laudare, ille fatica privatur, quia media pars incidet in manum mortuam.

Etiam si sint laici fatica privantur, quia emptor non tenetur dividere rem, nec contractum, etiam si unus eorum vellet retinere totam rem, & solvere condomino partem censuum, & laudemii.

Tamen hæc videntur contrariari supra narratis de quatuor dominis communiter, & pro indiviso, quorum tres laudarunt, & alter vult uti retractu, & dicitur posse.

An dominus privetur retractu recipiendo censum, & pensiones à novo acquiretore? quidam affirmativam tenent, maxime si illas recipiat post præsentationem instrumenti, nisi protestatus sit, quod per talem receptionem non vult sibi fieri aliquod præjudicium in jure prælationis.

Quidam autem negativam tenent, si recipiat pro pensionibus decursis, secus autem pro futuris.

Si quis vendiderit suum canonem cum dominatione, quem tenet pro duobus dominis communiter, & pro indiviso, & sub eorum alodio, & istorum unus vult laudare, & alter retinere, iste non potest, quia esset inferior suo condomino, saltem pro dimidia dominatione, & una, & eadem persona esset inferior, & superior, & tunc alter posset concedere faticam.

§. III.

De Amortizatione.

AMORTIZATIO est = Directi, sive feudalis domini rei in manum mortuam translata, justa interveniente compensatione, legitima facta suspensio.

Dicitur *directi, seu feudalis domini*: Quia de eo tantum fit, non vero de censu, nec re.

Adjicitur *rei*, idest immobilis: Quia cum super rebus movilibus non detur dominium directum, ideo neque amortizatio.

Ponitur *in manum mortuam translata*: Quia amortizatio non habet locum nisi res in manum mortuam transferatur.

Ab *Additur justa interveniente compensatione*: Quia per eam compensantur domino alodiali laudemia, quæ sperare posset extante re in manu habili.

Adscribitur *legitima*: Quia sive fiat, sive acceptetur per Ecclesiam, Beneficium, & similia, sunt servandæ solitæ, & requisitæ solemnitates.

Denique narratur *facta suspensio*: Quia per ipsam non amittitur directum dominium, sed tantum quiescit, & suspenditur, dum res in manum mortuam permanet, nam statim quod reddit ad manum habilem revivit pro ut antea erat.

Licet prædicta definitionis explicatio videatur teneri à quampluribus practicis, tamen videtur non esse satis sana, quia suspensio non fit de dominio directo rei emphyteuticæ, sive feudalis, nam dictum dominium non suspenditur dum prædium est in manum mortuam.

Nam dominium directum est ipsa rei proprietas, & civilis possessio, sed melius: Jus de re corporali perfecto disponendi, in quo comprehenduntur illa tria jura, nempe empara pro censu habendo, firma pro juribus conservandis, & fatica ad opus retinendi, seu aliis concedendi.

Dominus directus tam ante, quam post amortizationem habet eandem rei proprietatem, & civilem possessionem, sicque dominium itidem est, tam antea, quam postea illam, quia manus mortua rem emphyteuticam possidens tantum habet utile dominium, & naturalem possessionem, & in alienatione nihil aliud fuit in ea translatum.

Licet extante re emphyteutica in manum mortuam non habeat firmam, nec faticam realiter, & formaliter, non dicitur per hoc quiescere, & stare in suspenso, quia neque illas habet, extante ipsa re in privatorum

manu, nam hoc jus firmæ, vel faticæ tantum habet locum in translatione domini utilis.

Illud vero jus emparæ, & facultas assignandi iudicem ad capibreviandum, & census decursos petendum, eo potest uti dominus, tam extante re penes manum mortuam, quam personam habilem.

Et ideo amortizatio potius dicitur indemnitas, seu compensatio laudemiorum, quæ dominus percepturus verosimiliter erat, si res extaret in privatorum manu, quæ sæpe mutatur, sicque non potest dici suspensio domini, nec quod hoc quiescat.

Manus mortua proprie dicitur illa quæ non habet liberam, & spontaneam facultatem disponendi de rebus.

Istæ manus mortuæ sunt Ecclesia, civitates, universitates, collegia, monasteria, confratriæ, & quodcumque corpus, sive ecclesiasticum, sive sæculare.

Manus mortua intra annum tenetur rem emphyteuticam, seu feudalem, quam acquisivit, in manum habilem alienare, vel annuente domino amortizare, à die mandati numerandum.

Quilibet dominus directus potest præcipere emphyteuticæ manui mortuæ, ut intra annum acquisitionis rei emphyteuticæ illam in manum habilem transmittat, aut amortizet, & indemnitatem præstet.

Si autem manus mortua rem emphyteuticam possiderit per spatium plusquam quadraginta annorum absque amortizatione, dominus directus non potest eam compellere ut ipsam rem à se evacuet, sed tantum ut amortizet, quia hoc casu præscribiturabilitas possidendi, sed non jus superioritatis.

Si res à manu mortua transferatur in manum habilem cessat census augmentum, quia cessat causa amortizationis.

Si res vendatur manui mortuæ cum pacto de retro, non tenetur in manum habilem transferre, nec amortizare, quia possidet dominio revocabili.

Si manus mortua transfert rem post amortizationem in aliam manum mortuam, ista non tenetur amortizare, quia domino directo nullum fit præjudicium, quod per illam, vel istam res possideatur.

Si manus mortua pretio 500 £ ꝥ acquisivit rem emphyteuticam, & jam amortizavit, post lapsum temporis eam vendit alii manui mortuæ pretio 1000 £ ꝥ, an ex hujusmodi augmento debeatur amortizatio, vel dominus possit compellere novam manum mortuam, ut in manum habilem illam rem transferat? videtur dicere posse, quia non fit alienatio pro eodem pretio quo primam acquisivit.

Manus mortua acquirens annuos census, seu redditus, tenetur amortizare si sunt irredimibiles, secus si sunt redimibiles.

Si res feudalis, seu emphyteuticaria pervenit ad manum mortuam pro fundatione, constructione, ampliatione, aut reparatione Ecclesiæ, seu Monasterii, non potest cogi ad transferendum in manum habilem, neque ad amortizandum.

Si manus mortua rem feudalem, seu emphyteuticariam possidet jure pignoris, non potest cogi ad transferendum in manum habilem, neque ad amortizandum.


Si dominus directus lapso anno pensionem recipit à manu mortua, jam approbavit eam, & non potest illam compellere ad transferendum in manum habilem, bene vero ad amortizandum.

Neque potest dominus directus compellere manum mortuam ad alienandum, si instrumentum acquisitionis firmavit, bene vero ad amortizandum.

Sed

FE DE ERRATAS.

<u>Pag.</u>	<u>Lia.</u>	<u>Errata.</u>	<u>Correcta.</u>
11. . . .	14. . . .	3º.	Quarta.
12. . . .	22. . . .	arrogati.	adroganti.
18. . . .	27. . . .	Committente.	Committens.
19. . . .	7.	servare,	servari,
21. . . .	26. . . .	inæstimatio.	inæstimata.
23. . . .	4 & 6. . . .	obligatur	obligantur.
37. . . .	24. . . .	litigero	tetigero,
31. . . .	17. . . .	suas	sua.
35. . . .	7.	speciali	specialis.
38. . . .	14. . . .	fidejuventibus.	fidejubentibus.
38. . . .	22. . . .	adpellatum	appellatum.
46. . . .	10. . . .	cercere	carcere.
46. . . .	25. . . .	foctum,	factum.
49. . . .	18. . . .	patri	parti.



157

+ 4

